
3 1761 07995561 3


SUCC. B. SEEBER
VIA
TORNABUONI
20
FLORENCE

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

OPERA

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS OPERA

VINCENTIVS LANFRANCHIVS
AD BODONIANAM EDITIONEM EXEGIT
VARIIS LECTIONIBVS
ATQVE ADNOTATIVNCVLIS ILLVSTRAVIT

ACCEDIT INDEX RERVM ET VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS

VOLVMEN II



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA SALESIANA
AN. M. DCCC. XCVIII.

Auctor sua iura ex legibus sibi vindicat

N° 973 - M

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

POËMATA DIDACTICA

I. *Apotheosis* — II. *Hamartigenia* — III. *Psychomachia* — IV. *Contra Q. Aurelium Symmachum Praefectum Urbis libri duo.* — V. *Diptycon utriusque Testamenti.*

Haec lege, qui rectum fidei vis noscere callem;
  Quique heresum (haeresum) sollers spicula vafra fugis.
Hic tibi peccati veteris pandetur origo;
  Hic nova vis animi, monstra veterna fugans,
Funditus ydolii (idolii) virtus eversa iacebit;
  Ac penitus tetri lingua teretur ydri... (hydri)

(Ex incerti membr. Alex. Vatic., numero 321 distincta).

»... puto Prudentium, dulcissimum, piissimum
» et eruditissimum poëtam: quem ut teneam,
» non negem omnium Graecorum Latinorumque
» vatum scripta contemnere.»

GASP. BARTHIVS L. IX Advers.

I

APOTHEOSIS

APOTHEOSIS

PRAEFATIO IN APOTHEOSIN *

Est tria summa Deus (1), trinum specimen, vigor unus:
Corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est.
Sanctus ab aeterno subsistit Spiritus ore.
Tempore nec senior Pater est, nec lumine maior;
Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,
Per quod semper erat gignenda ad saecula, Verbum.
Edere sed Verbum Patris est: at cetera Verbi,
Adsumptum gestare hominem, reparare peremtum,
Conciliare Patri, dextraque in sede locare.

(*) Apotheosis vox graeca est, latinis litteris descripta; atque consecrationem significat, seu potius hominis demortui inter deos relationem. Imperator Caes. Augustus ἀποθέωσιν primus instituit inter Romanos, qui, uti narrat Svetonivs, C. Iulium Caesarem Deum fecit, deumque coli eum iussit. (V.I.Caes. LXXXVIII). Ritus in apotheosi servatos legimus apte descriptos in *Herodian.* IV, 2. Prudentius autem hoc poëma didacticum inscripsit Apotheosin, seu *Divinitatem*, quod ibi de Iesu Christi divinitate agit, aliisque de rebus ad id argumentum spectantibus. Carmen est heroicum dactylicum.

(1) *Est tria summa Deus.* Huiuscemodi de Deo uno et trino loquendi ratio haud absona et absurda christianis auribus continget, si notationem spectemus *Trinitatis*, quae ex S. Thoma est *trium quasi unitas.* (V. Quaest. XXXI, Art. 1). Idem Aquinas doctor cecinit: « Te Trina Deitas unaque poscimus... » et: « Uni trinoque Domino Sit sempiterna gloria... » (Hymn. 1, et 11 in S. Sacram. Eucharist.).

Spiritus ista Dei complet: Deus ipse fideles
In populos charisma (1) suum diffundere promtus,
Et Patris et Christi virtutem in corpora transfert (2).

ALIA PRAEFATIO *

Est vera secta? te, Magister, consulo (3).
Rectamne servamus fidem?
An viperina non cavemus dogmata,
Et nescientes labimur?
Artam salutis vix viam discernere est
Inter reflexas semitas.
Tam multa surgunt perfidorum compita,
Tortis polita erroribus:
Obliqua sese conserunt divortia (4),
Hinc inde textis orbitis

(1) *charisma.* χάρισμα. primam vocis syllabam produxit noster, uti in hymno XIII, 61 Περὶ Στεφ. Hoc ipsum factitavit FORTVNATVS VENANTIVS licenter.

(2) *in corpora transfert*, in Christianorum corpora, quae templum Dei, Spiritusque Sancti domicilium adpellantur. V S. PAVL. ad Corinth. 1, 3, 16; 2, 6.

* Carmen Epodon, constans Senario iambico, cui additur dimeter iambicus.

(3) *Est vera secta?* Quaeritur utrum Christianorum religio inter sectas sit enumeranda, nec ne. Sive a *secando*, sive a verbo *sequor*, *eris* vocabulum derives, secta est familia quaedam, aut est schola, vel quorundam mortalium congregatio studiorum communium causa, vel alicuius commodi spe unum aliquem magistrum, aut ducem sequentium; et accipitur plerumque in deteriorem partem uti assecla, assectator, etc. Olim tamen penes Christianos non male vox audiebat, uti videmus in libro TERTVLLIANI *de Pallio*, ubi Christianor. doctrinam appellare *divinam sectam* non dubitavit. — *Magister*, scilicet Deus, qui verus ed unicus Christiani nominis magister est. V. MATTH. XXIII, 8.

(4) *obliqua se conserunt.* HEINS., omnibus Vaticc. consentientibus; neque CELLARIVS quidquam debuit immutare. — GISEL. et THEOLIVS habent *sese conferunt.* — *divortia.* Divortium pro-

Quas si quis errans ac vagus sectabitur,
  Rectum relinquens tramitem;
Scrobis latentis pronus in foveam ruet,
  Quam fodit hostilis manus.
Manus latronum, quae viantes obsidet,
  Iter sequentes devium.
Quid non libido mentis humanae struat?
  Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
  Calumniosis litibus.
Fidem minutis dissecant ambagibus,
  Ut quisque lingua est nequior;
Solvunt, ligantque quaestionum vincula
  Per syllogismos plectiles (1).
Vae captiosis sycophantarum strophis!
  Vae versipelli astutiae!
Nodos tenaces recta rumpit regula (2),
  Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
  Ut concidant sophistica;
Deque imbecillis subiugavit fortia,
  Simplex ut esset credere (3).

prie locus est, in quo a militari via quis divertit; vel locus, ubi aquae in partes diversas defluunt. Hic translate pro detortis de religione opinionibus. — *Hinc inde textis orbitis.* Vestigiis passim implexis et dolosis.

(1) *Per syllogismos plectiles.* Vide supra Περὶ Στεφ, 11, 317. Ceterum plectilis pro nexilis usurpatur; et translate pulcre pro *involutus*, *fallax*, *mendax*. Prudentiana verba in mentem nobis revocant ea, quae Aligherius in Cantic. III, 10, 137 cecinit de Sigierio illo doctore, qui Parisiis aetate sua magno cum plausu hominum et invidia logicas disciplinas traderet.

(2) *regula.* scil. Fidei Christianae.

(3) *simplex ut esset credere.* Vel ipse AMMIANVS MARCELLINVS, qui stipendia sub Imperat. Iuliano meruit Christianorum religionem *absolutam simplicemque* esse affirmavit. V. *Rer. Gestar.* sub fin. Lib. XXI.

Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem vanitas,
Signum caventi, non caventi scandalum:
Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat caecus incerto gradu,
Incurrit id quod obvium est.
Fax sola Fidei est praeferenda gressibus,
Ut recta sint vestigia.
Quis (1) in tenebris hostis errantes tamen
Pulsat, trahitque, et proterit?
Qui sparsa ad ipsum commeantum transitum
Frumenta saevus devorat:
Qui laeta Christi culta fur interpolat,
Addens avenas aemulas,
Quas de veneni lacte in herbam fertiles
Patitur colonus crescere,
Ne forte culmen fibra inanis spiceum
Simul revulsa internecet.
Expectat ergo, dum dolosa (2) et farrea
Fervens coquat maturitas,
Det ventilabro lecta quaeque ut horreis,
Urat recrementum focis.
Refert sed ipsa nosse, quae messem necant,
Zizaniorum semina (3).

(1) *quis in tenebris.* CELLARIVS quîs pro eo quod est *quibus* legit. Nos sine apice scribimus *quis* tanquam interrogativum pronomen, quod consequitur (ille scil. daemon) *qui sparsa* etc.

(2) *dum dolosa,* nonnulli Heinsiani codd. ac duo Vaticc. *vitiosa*; sed prior lectio retinenda; ipseque HEINSIVS *dolosa* retinuit, quae metri rationi respondet.

(3) *Refert sed ipsa... messem* etc. quae verba causam aperiunt, cur poëta suis didacticis hisce versibus manum admoverit.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

APOTHEOSIS *

I

CONTRA HAERESIN QVAE PATREM PASSVM ADFIRMAT

Plurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculent male prodita linguam.

* Apotheosis, seu poëma *De Divinitate*, de quo supra diximus, in sex partes dividitur, quarum prior statim nobis haec occurrit, in qua noster subtiliter et docte Priscillianistas Marcii cuiusdam Agyptii sectatores, adgreditur. Iam vero Sabelliani hanc haeresim profitebantur, unam tantum in Deo personam inesse; et Deum modo Patrem, modo Filium, interdum autem Spiritum Sanctum pro varietate eius operationum nuncupari. Iidem insuper contendebant Patrem aeque ac Filium passum esse. Ob hanc causam S. Augustinus *Patripassianos* eos crebrius, quam Priscillianistas appellatos fuisse ait in Tractatu suo: *De Haeres.* N. 41. Pravitatem Patrispassianorum iamdiu philosophos Christianos confutasse vel a primis Catholici nominis temporibus compertum habemus; nemo tamen unus demirabitur Prudentium sub initium saeculi quinti iterum Sabellianorum deliramenta, de orientalibus sumpta, acriter exagitasse, si paulisper animadvertat poëtae nostri aetate talem Priscillianistarum pestem duas brevi tempore Hispanias infecisse; plane ut S. Hieronymvs infandum istorum commentum κατ'ἐξοχὴν *hispanam haeresin* nuncupare non dubitaverit. (V. S. Hieron. Ep. CXXVI, N. 1. edit. Veron). Ut autem Prudentius Sabellianos omnino erroris, quo tenerentur, insimularet, quidquid SS. Patres et Concilia in eos disputaverant in rem suam derivavit, seque sacrarum litterarum luculentum enarratorem ostendit. Illud autem laudi poëtae nostro vertitur, quod argumentum salebrosum iis poëseos luminibus quandoque distinguit, iisque dificillimis disputationibus victor discedit, ut saepenumero eius carmina lucretianum robur cum virgilianibus veneribus coniungere tibi videatur.

Ille (1) Patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec pavet ipsum
Obiectare neci, duroque adfigere ligno.
Passibilisne Deus? (2) cuius species et imago
Nulli visa unquam; nec enim comprêndier (3) illa
Maiestas facilis sensuve, oculisve, manuve.
Ioannis magni celebris sententia praesto est, (4)
Haud unquam testata Deum potuisse videri.
Ille Pater, quem nulla acies violenta tuendo
Eminus ardentis penetravit acumine visus,
Qui se forma hominis non induit, et deitatis
Immensum adsumto non temperat ore, modove.
Aut Evangelici pietas spernenda libelli
Iam, blaspheme, tibi est; aut numquam visa beati
Vis intacta Patris (5), non admiscenda caducis.
Sed tamen et Patris est specimen, quod cernere fas sit,
Humanis aliquando oculis concurrere promtum.
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentique acie potuit nebulosus adire.
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit Gnatum: nam Filius hoc est,
Quod de Patre micans se praestitit inspiciendum
Per species, quas possit homo comprêndere visu.
Nam mera maiestas est infinita, nec intrat

(1) *Ille* scil. Sabellius, unde Sabelliani et Patripassiani. — *in arctum* GISELIN. et pleraeque editt. — *in artum* extrita C THEOLIVS, et recentiores.

(2) *Passibilisne Deus?* In Symbolo Aquileiensi post illa: « Credo in Deum patrem omnipotentem » statim additur: *invisibilem et impassibilem*, uti eruimus ex RVFFINO *in Exposit. Symb.*

(3) *comprêndier*, παραγωγή.

(4) *Ioannis magni* etc. V. Io. Evang. 1 18.

(5) *Vis intacta patris.* Pater, ex sententia poëtae, non se hominibus unquam videndum praebuit. Sed tamen S. AVGVSTINVS,

Obtutus, aliquo nî se moderamine formet.
Hoc vidit princeps generosi seminis Abram (1),
Iam tunc dignati terras invisere Christi
Hospes homo, in triplicem numen radiasse figu-
[ram (2).
Hoc conluctantis tractârunt brachia Iacob (3).
Ipse dator legis divinae accedere coram
Iussus, amicitiae collato qui stetit ore
Comminus, et sacris coniunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit.
Sed maiora petens, animum per vota tetendit
Inconcessa homini (4), plusquam mortale laborans,
Ipsum, quantus erat, sine corpore visere Christum.
Denique post multi sermonis mutua, postque
Conspectum praesentis Heri, et consortia longa,
Quaeso, ait, ut liceat te nunc, Deus optime, nosse (5).
Respondit Dominus: mea, non me, cernere iustis
Posteriora dabo (6), quid apertius, absque aliena,
Quam sumat facie Verbum non posse videri?
Posse tamen, quum malit idem, numquam Patre
[viso

ceterique post illum scriptores in hac fuerunt sententia, omnes Dei apparitiones in Veteri Testamento per angelos esse factas. V. S. Avgvst. *De Trinit.* XIX, 10, 11; et De Civit. Dei XVI, 19.

(1) *Hoc vidit princeps* etc. Cfr. Genes. XVIII.

(2) *in triplicem numen* etc. Ivvencvs *in Genes.* « Dumque Deum trina positum sub imagine pascit... » Hinc, uti notat Theolivs noster, illud ab Ecclesia usurpatum « *Tres vidit et unum adoravit.* » Et haec quidem illi notationi nominis consentanea sunt, quam S. Thomas de Trinitate, ut supra vidimus, tradit.

(3) *Hoc conluctantis* etc. V. Genes. XXXII, 24.

(4) *inconcessa*, impermissa, non homini data. V. Virg. *Aen.* I. 655.

(5) *Quaeso, ait,* etc. Cfr. Exod. XXXIII, 13.

(6) *cernere Posteriora dabo.* Haec sunt verba Filii Dei, qui Moisi, tamquam amico et prophetae se ea humana specie

Terrenis oculis, habitu se ostendere nostro:
Saepe et in angelicas vel mortales moderatum (1)
Induci species, queat ut sub imagine cerni.
Hoc Verbum est, quod vibratum Patris ore benigno
Sumsit (2) virgineo fragilem de corpore formam.
Inde figura hominis nondum sub carne, Moysi
Obiecta, effigiem nostri signaverat oris:
Quod quandoque Deus Verbi virtute coactum
Sumturus corpus, faciem referebat eamdem.
Sed tamen et sentam (3) visa est excita cremare
Flamma rubum. Deus in spinis volitabat acutis,
Vulnificasque comas innoxius ignis agebat:
Esset ut exemplo (4) Deus inlapsurus in artus
Spiniferos: sudibus quos texunt (5) crimina densis,
Et peccata malis hirsuta doloribus implent.
Inculto nam stirpe frutex vitiosus iniquis
Luxuriam (6) virgis inhonesto effundere succo

dat videndum, quam esset aliquando assumpturus, ut legemus ad v. 309. Hic vero poëta cum nonnullis Ecclesiae Patribus facit, quos memorat Estivs *Comm.* in locos difficillimos Exod. XXXIII, 13; ad Cor. X, et Ioann, VIII. In uno autem codd. Vatic. glossa quaedam legitur, quae verbum *posteriora* incarnationem interpretatur. Neque alio sensu intelligenda erunt, quae paulo ante ad v. 30 tradit de Abrahamo, quaeque infra videbis de Nabuccodonosorre v. 129.

(1) *moderatum.* Nonnulli legunt: *memoratum.* Coterum *moderatum* est ab activo eodemque archaico *modero, as.*

(2) *sumsit,* et infra v. 54 *sumturus.* Ibi vulgo cum Giselino *sumpsit, sumpturus*; et rectius. V. Cellar. Orthogr. Latina, pag. 23.

(3) *sentam:... rubum.* Rubum sentibus obsitam Cfr. Gènes. III, 2. *rubus* fem. gener. V. Καθημ. V. 31.

(4) *Esset ut exemplo.* S. Gregorivs Magnvs in L. LVIII Moral. Cap. 11, ait in rubo *κατ' ἀλληγορίαν τινὰ* Deum denotari, qui carnis humanae dolores, quasi rubi spinas susciperet, non comsumpta humanitatis substantia. V. infra vers. 73.

(5) *sudibus quos texunt.* V. Περὶ Στεφ. hymn. XI, 143.

(6) *Luxuriam* etc. Glossa vetust. *abundantiam.* Proprie

Coeperat, et nodos per acumina crebra ligabat.
Cernere erat steriles subito splendescere frondes,
Accensisque citum foliis magno impete (1) late
Conlucere Deum, nec spinea laedere texta,
Lambere sanguineos fructus, et poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.
Quandoquidem tristes purgantur sanguine culpae,
Quem contorta rubus (2) densis cruciatibus edit.
Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum
Lumen, imago Dei, Verbum Deus, et Deus ignis (3),
Qui sentum nostri peccamen corporis implet.
Nam lucis Genitor, Verbi sator, auctor et ignis
Creditur extra oculos, ut Apostolus edocet auctor:
Qui negat intuitu fontem deitatis adiri:
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo (4).
Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons
Visibilis, cerni potis est qui nascitur, at non
Innatus cerni potis est: latet os Patris illud,
Unde Deus (5): qui visibilem se praestitit olim,
Tale aliquid formans in sese, quale secuta est
Passio, quae corpus sibi vindicat; ardua nam vis (6)

luxuria aut luxuries dicitur de nimia germinum ubertate et redundantia; quapropter falsus est Aeg. Forcellinius, qui in Lexico suo vocis intellectum translatum cum proprio confundere videtur.

(1) *impete.* Impes, etis inusitata et poëtica vox est, quae in sexto casu solum usurpatur.

(2) *Contorta rubus densis.* Glossator unius Cod. Vatic. contortam rubum Christi Crucem intelligendam esse docet; ac per *sanguineos fructus* et *poma cruenta*, quae supra memorantur, eius cruciatus fuisse praefiguratos.

(3) *Verbum Deus, et Deus ignis.* V. Cathemer, X, 1.

(4) *Credite* V. Evang. secundum Ioann. 1, 18; et Ioann. Ep. 1, 4, 12.

(5) *Unde Deus,* ex quo Patris ore Verbum prodiit, etc...

(6) *ardua nam vis*, vis, seu natura divina in se spectata. — *Est impassibilis*, id est: non potest pati. Vocem usurparunt Lactant. 1, 3; et Tertvll. Apolog. 10. Italice: *impassibile.*

Est impassibilis; quoniam natura superni
Ignis ad horrificas nescit descendere poenas,
Nec capit humanis angoribus excruciari (1),
Pura (2), serena, micans, liquido praelibera motu,
Subdita nec cuiquam, dominatrix utpote rerum:
Cui non principium de tempore, sed super omne
Tempus, et ante diem maiestas cum Patre summo,
Immo animus Patris, et ratio, et via consiliorum,
Quae non facta manu, nec voce creata iubentis,
Protulit imperium patrio ructata (3) profundo.
Hanc igitur non flagra secant, non sputa salivis
Adspergunt, alapis non vexat palma relisis,
Nec perfossa cruci clavorum vulnera figunt.
His adfecta caro est hominis, quam femina praegnans
Enixa est sub lege uteri, sine lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, et haurit acetum:
Ille pavet mortis faciem, tremit ille dolorem.
Dicite, sacrilegi doctores, qui Patre summo
Desertum iacuisse thronum contenditis, illo
Tempore, quo fragiles Deus est inlapsus in artus,
Ergo Pater passus? quid non malus audeat error!
Ipse puellari conceptus sanguine crevit!
Ipse verecundae distendit Virginis alvum?

(1) *nec capit.* Capi ea dicuntur, quae in nostram naturam aut vires cadunt. Transl. hic noster: *Nec capit humanis* etc. Quae more nostro diceremus: *non può fare, non può essere, che* etc. Graeci: τὸ ἐνδέχεσθαι. V. PAVL. NOL. IX, 22; TERTVLL. *De Pudicit.* 1, sub fin., ubi SCIOPPIVM.

(2) *Pura, serena, micans.* Scil. Dei natura.

(3) *ructata.* Ructare et eructare transl. est emittere; nonnullisque habetur tamquam metaphora humilior, et plebeia. Attamen τὸ ἐρεύγεσθαι Homerico respondet; neque sane apud Romanos inhonestum verbum fuisse testatur VARRO *de Re Rust.* III, 2, 3. Christianis certe scriptoribus arrisisse docet GOTTL. HEINECCIVS in opere eruditissimo, cui titulus; *Fundamenta Stili cultioris*, Pars. 1. cap. 2.

Et iam falsiloqua (1) est divini pagina libri,
Quae Verbum in carnis loquitur fluxisse figuram?
At non, qui Verbi Pater est, caro factus habetur.
Fige gradum Scriptura tuum: nîl mobile et anceps
Adfirmasse decet: Pater est, quem cernere nulli
Est licitum: Pater est, qui numquam visus in orbe est.
Nec mundana inter radiavit lumina coram.
Verbum conspicuum misit, missumque recepit
Quum voluit: Verbo perstrinxit viscera purae
Virginis, et Verbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris virtute et numine praesens
Semper adest quocumque loci: nec pars vacat ulla
Maiestate Patris; nusquam est genitor Deus absens:
Per Verbum sed semper adest; atque inde Philippo
Christus ait (2): « Tanto tecum iam tempore versor,
Et Patrem te nosse negas, quem perspicis in me?
Est invisibilis donum Patris, edere natum
Visibilem, per quem valeat Pater ipse videri;
Nec solis sanctorum oculis, sed lumine cassis.
Caecorum caecos loquor, atra socordia quorum
Corde tenebroso verum perpendere nescit.
Quem (3) si perspicuum mortalibus infitiaris,
Fare age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus (4)
Innocuas inter flammas procul exspatiantem,
Calcantem rapidos inadustis (5) fratribus ignes.
Nempe ait: — « o proceres, tres vasta incendia anhelis

(1) *Et iam falsiloqua* etc. V. IOANN. Evang. I.
(2) *Christus ait*: etc. V. IOANN. XIV, 10, 11.
(3) *Quem* scil. Filium Dei... *infitiaris.* — GISELIN. *inficiaris.* Sed FESTVS et MANVTIVS verbum per T scribi oportere putant, quia sit a fateor.
(4) *tyrannus:* scil. « Nabuchodonosor » (Glossa vetus), qui mentis lumine ita captus erat, ut res ad religionem veram spectantes minime cerneret. » V. DANIEL. III.
(5) *inadustis:* Italice — *incombustibili*. V. Ovid. XII. 95.

Accepere viros fornacibus; additus unus
Ecce vaporiferos ridens intersecat ignes.
Filius ille Dei est; fateorque et victus adoro (1):
Iurisas removete faces, taedasque tepentes
Subtrahite: friget (2) succensi sulphuris ardor.
Filius (haud dubium est), agit haec miracula rerum:
Quem video: Deus ipse, Dei certissima proles.
Imperat immensis ardoribus, et domat iras,
Insultans, famulante rogo, piceosque furores
Comprimit, et rabiem flammarum algescere cogit:
Barbaricos calida aura sinus (3) non tangere iussa
Praeterit, et tenues stridens transcurrit amictus.
Ipse per Assyrios metuit vapor ire tiaras (4);
Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro. » —

(1) *fateorque, et victus adoro.* Miraculone tantae rei Rex tactus, reiectis pravarum opinionum commentis, cultum veri Dei sit amplexus, an non, videre licet DANIELIS modo memorati interpretes, et praesertim P. SIMONEM DE-MAGISTRIS, qui an. M. CCCC. LXXII primus ad fidem Tetraplis Orig. Danielis versionem edidit, et dissertat., atque adnotationibus adornavit.

(2) *Subtrahite: friget.* Codd. Vaticc. omnes, uno tantum excepto. — WEITZIVS verbi *subtrahite* ultimam syllabam productam aegre ferens, nescio quos codd. secutus, legit: *Subtrahite; en friget.* Perperam; HEINSIVS enim Prudentium notat plus semel vel classicorum licentia usum fuisse, qui brevem vocis syllabam producerent ultimam, ubi sequens verbum duobus longis constaret. V. Περὶ Στεφ. VII, 60; et L. QVICHERATI: *Traité de Versification Latine.* Paris 1833. Chap. XIV.

(3) *Barbaricos... sinus.* Hac dictione vestis cuiusdam Punicae genus fluxum et sinuosum denotat, quod ISIDORVS describit XIX Orig. 23. Nos bracas latine diceremus, quae Chaldaice *Sarabala*, aut *Saraballa* vocantur. Earum nobis exhibet figuram BONAROTTIVS in suis *Observatt. ad vitra Coemeterial.* pag. 68.

(4) *tiaras.* tiara, ae, vel tiaras, ae ornamentum capitis erat apud Persas: soli reges vero recta tiara, et ea quidem acuminata utebantur. V. HESICH. LEXIC; et SENEC. De Benef. VI, 31.

Haec ait; et varios iubet obmutescere cantus,
Organa, sambucas, citharas, calamosque, tubasque.
Stulta superstitio tacuit: vox festa quievit,
Quae male conspicuae (1) celebrabat imaginis aurum.
Carmina sanctorum (2) resonant iam sola virorum,
Triplice concentu Regem laudantia caeli,
Qui mare, qui terras, qui lucida sidera fecit,
Ignibus et mediis securos texit alumnos.
Semper in auxilium sermo Patris omnipotentis
Descendit servando homini: mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curavit amore:
Vt socianda caro (3), Dominoque implenda perenni,
Degenerem vitam, quae tunc animalis agebat, (4)
Exemplo mutaret Heri (5), similesque per artus
Cernere consortem terreni adsuesceret oris;
Participemque suum visu velut obside nosse,
Et consanguineo paullatim accedere Christo.
Ergo animalis homo quondam; nunc Spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum, mortalia vivificantem.
Nunc nova materies (6), solidata intercute flatu,
Materies, sed nostra tamen; de Virgine tracta,

(1) *Conspicuae*. Scil. « statuae »; Vet. glossa codicis Vatic.

(2) *Carmina sanctor*. Haec referuntur ad Cantic. trium puerorum, de quo V. DANIEL. III, 51.

(3) *Ut socianda caro....* « Humanum genus incarnatione τοῦ λόγου consociandum Deo, ut fiat velut plenum Dei ». THEOL.

(4) *animalis agebat*. V. S. PAVL. ad Ephes. 11.

(5) *exemplo mutaret Heri*, scil. « Christi incarnati Dei ». THEOL.

(6) *Nunc nova materies solidata intercute flatu*, Hic versus et tres, qui sequuntur, obscuritate quadam involvuntur. CHAMILLARDVS, παράφρασιν suam sequutus, in bona luce ita eos collocare studuit: « Nunc nova materies, corporata Sancto Spiritu,

Exuit antiquae corrupta exordia vitae,
Immortale bonum proprio spiramine sumens.
Filius ille hominis, sed Filius ille Tonantis,
Iam solus vultum Patris adspicit (1) et videt ipsum.
Nemo Patrem novit nisi Filius, et cüi monstrat (2)
Filius, et nostri mediator et Omnipotentis.
Denique concludam brevis ut compendia summae:
Non Pater in carnem descendit, sed Patris arcem
Sumta caro adscendit. Natus per utrumque cucur-
[rit (3).

II

CONTRA VNIONITAS

Postquam in eos esset digladiatus, qui Patrem passum contenderunt, pergit noster eosdem ipsos oppugnare, perversae doctrinae magistros, qui fuerunt *Unionitae* appellati, eo quod unam tantum esse in Deo personam affirmarent.

Cede, profanator Christi, iam cede, Sabelli,
Depositorque Patris (4), Natique insane negator.
Nonne Patrem violas, dum Natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius exstet;
Nec vocitare Patrem potis es, quem germine fraudas.

illabente in viscera Mariae; sed tamen nostra materies formata ex sanguine Virginis, est immunis corruptelae antiquae originis, accipiens a suo Sancto Spiritu bonum immortale. »

(1) *Iam solus*. Animadverte τὸ *solus* non omnino visionem auferre, sed tantummodo videndi modum. Legere autem iuvat, pie lector, quae habent interpretes in illud MATTH. XI, 27: « nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. »

(2) *cüi*. V. Καθημ. III, 167.

(3) *Natus per utrumque cucurrit*. Descendit atque ascendit. V. infra vers. 231.

(4) *Depositorque Patris*. Qui evertere, de loco suo praecelso deorsum et ponere es ausus. Hoc sensu *depositor* Prudentii vocabulum proprium est. V. infra v. 231.

Sed fortasse velis patriae pietatis honore
Despoliare Deum, contentus nomine nudo,
Quod Deus est, adimasque decus Patris, et generis
[vim.
Ecquis in idolio recubans (1), inter sacra mille,
Ridiculosque deos venerans sale, cespite, ture (2),
Non putat esse Deum summum, et super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Iunonibus (3), et Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen (4) in caelum quoties suspexit, in uno
Constituit ius omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio, variis instructa ministris.
Quae gens tam stolida est animis, tam barbara linguis?
Quaeve superstitio tam sordida, quae canifor-
[mem (5)

(1) *Ecquis in idolio recubans.... Non putat* etc. LACTANTIVS in L. 1. *De falsa religione* multus est ut demonstret nullam in terrarum orbe gentem unquam extitisse, quae Deum unum non agnoverit. Vide sis et ALBERTVM FABRICIVM in *Delectu* etc. Cap. VIII.

(2) *Sale, cespite, ture.* V. Περὶ Στεφ. III, 122; et insuper vide ibi V. 50.

(3) *Quamvis Saturnis, Iunonibus*, etc. Imagines Saturni, Iunonis, Veneris, aliorumque deorum in tabellis depictas docte satis illustravit MONTFAVCONIVS in suis Antiquitt. Tom. I.

(4) *Attamen in coelum* etc. TERTVLLIANVS in ipsis loquendi formulis, quas veteribus superstitionibus addicti pro re nata usurparent, notat unum Deum apertissime saepenumero fassos esse, atque ad Dei unius omnipotentiam, natura ipsa ferente, confugisse; aiebant enim : « quod Deus dederit. » — « Deo commendo. » — « Deus inter nos iudicabit. » — Quibus animadversis in haec erumpit : « O testimonium animae naturaliter Christianae ! »

(5) *caniformem...... Anubem* Anubis Osiridis filius. Eius simulacrum e solido auro conflatum vultum caninum praeseferebat, colebaturque ab Aegyptiis, et horizontem repraesentabat, quem Latini circulum finitorem dicunt. V. VIRG. *Aen.* VIII. 698: IVVEN. VI, 133. Accusandi casus haec vox *Anubis*

Latrantemque throno caeli praeponat Anubem?
Nemo Cloacinae, aut Eponae (1) super astra deabus
Dat solium, quamvis olidam persolvat acerram (2),
Sacrilegisque molam (3) manibus rimetur et exta.
Consule barbati (4) deliramenta Platonis:
Consule et hircosus Cynicus (5) quos somniat, et quos
Texit Aristoteles tota vertigine nervos (6).

in *in*, et interdum in *en* desinit V. Plinivm Maior. XXXIII, 9 41; et Prop. III, 9, 41.

(1) *Cloacinae aut Eponae.* Cloacina dea est ex Lactanct. (Instit. 1, 20) a Cloaca dicta, quod eius simulacrum Romae in Cloaca Maxima repertum ferunt, ibique proxume a rege Tito Tatio positum et consecratum. Epona vero asinorum fuit Dea, et equorum, stabulonum, et mulionum, ab ἐπί et ὄνος; apud veteres enim prius asinorum quam equorum usus invaluit. Vide Ivven. VIII, 157, quo in loco, ut obiter moneam, *Eponam*, non autem *Iponam* legendum arbitror.

(2) *acerram* arculam turalem, seu vasculum, in quo tus reponitur in sacris incendendum; ab Hebr. וָבַר (incendit). V. Hor. Lyricor. III, 8, 2. Hic μετωνυμ. pro ipso ture.

(3) *molam.* V. Περὶ Στεφ, III, 29-30.

(4) *barbati Platonis.* Barba philosophorum fuit insigne penes Graecos Romanosque peculiare; hinc factum est ut Socrates κατ᾽ ἐξοχὴν magister barbatus diceretur a Persio Sat. IV, 1: Ammianvs vero Marcellinvs Imperatorem Iulianum in Rer. Gestar. Libro XXV memorans, qui philosophorum cultum habitumque ostentaret, eius barbam hircinam meminit. — *deliramenta.* Quamquam enim ceteris Graecorum philosophis sapientia antistabat Socrates, quem doctissimum appellat Prudentius ipse in L. 1,30 Contra Symmachum, multa tamen peccavit si eius doctrinam cum christiana sapientia conferas. De hac re Vide S. Avgvst. De Civitate Dei 11, 14.

(5) *hircosus Cynicus.* De philosophorum secta, quae ab Anthistene profecta est, verbisque moribusque obscena, a Tullio exagitatur, vide sis De Officiis XXXV, 41.

(6) *Texit Aristoteles* etc. Aristoteles stagirites, Platonis auditor, Alexandrique magister, peripateticorum institutor, auctor fuit disserendi de omnibus rebus in utramque partem. Pressum et subtile eius dicendi genus fuit, quod a Tertulliano dicitur, vocabulo suo usus, *minutiloquium* (De Anim. a med. VI, 13).

Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error
Circumflexus agat, quamvis promittere et ipsi
Gallinam soleant, aut gallum (1), clinicus ut se
Dignetur praestare deus morientibus aequum;
Quum ventum tamen ad normam rationis et artis,
Turbidulos sensus, et litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt numen in unum,
Cuius ad arbitrium sphera (2) mobilis atque rotunda
Volvatur, serventque suos vaga sidera cursus.
Non recipit natura hominis, modo quadrupes (3)
Non sit, et erecto spectet caelestia vultu:
Non recipit, neget ut regimen pollere supremum.
Istud et ipse Numae tacitus sibi sensit haruspex (4),

(1) *Gallinam soleant, aut gallum, clinicus ut se Dignetur praestare deus.* Deum Aesculapium appellat κλινικόν; eique templum magnum fuit Epidauri apud Peloponnesios excitatum, aegrotorum semper turba celebratissimum. Huic Deo, quem aegroti precibus votisque fatigabant, gallinam et gallum caedere consueverant, quod alterius aesus maxime sanus putabatur, alter aegrotantibus curandis videretur aptus, utpote qui eos de vigilantia commoneret. Ex Aesculapio Podalyrius et Machaon extiterunt, qui in bello Troiano Agamemnonem secuti sunt. V. CELS. *de Medic. praefat.* 1.

(2) *sfera.* Rectius *sphaera*, e graeco σφαῖρα. Noster tamen, uti infra v. 231, e voce adspirationem et diphtongum reiecit, et primam licenter corripuit.

(3) *modo quadrupes.* THEOL. Sed endecassyllabi deformem claudicationem nemo non videt. Rectius GISELINVS *quadrupes ille.* Neque verearis ne a quantitate aberret Batavus philologus; ultima enim vocis *quadrupes* modo brevem modo productam apud poëtas prudentianae aetatis habemus. V. AVSON. EIDYLL. XI, 39; PAVL. NOLAN. Natal. XII, 38. Ceterum de quantitate, quam noster saepe usurpavit, perlege FAVSTINI AREVALI Prolegom. XXV. — Iamvero *quadrupes ille* ad mortalium genus spectat, qui animalium more vivunt ratione carentum, quique nunquam in coelum os tollunt, sed pronum semper humi difigunt.

(4) *haruspex.* Numa Pompilius, secundus Romanorum rex, bene multos sacrorum ritus instituerat in urbe; nosque iam vidimus Περὶ Στεφ. 11, v. 514 « simpluvium Numae ».

Semifer et Scotus (1) sentit, cane milite peior.
Sed nos qui Dominum libris et corpore iam bis
Vidimus, ante fide, mox carne et sanguine coram,
Quique voluminibus vatum, cruce teste, probatis.
Rimantes digitos costarum (2) in vulnera cruda
Mersimus, et manuum visu dubitante lacunas
Scrutati, aeternum regem cognovimus Iesum,
Abiurare Deo titulum nomenque paternum
Credimus esse nefas, qui regem protulit ex se:
Non regem populi Parthorum, aut Romulidarum,
Sed regem summae, et mediae rationis (3), et imae,
Atque ideo rerum dominum, et super omnia regem.
Carnis habet medium, summum Patris, et Stygis imum.
Defluit his gradibus, rursusque revolvitur in se:
Est Deus, est et homo: fit mortuus, et Deus idem
[est.
Omnia percurrit naturae munia pronae,
Ut sursum Patris in gremium replicata (4) reportet

(1) *Semifer et Scotus... cane milite peior.* S. HIERON. adversus Iovinianum L. 11, C. VI de Scotorum saevitate scribit, se adolescentulum in Gallia vidisse Scotos, « gentem Britannicam humanis vesci solitos carnibus ». — *cane milite*, scil. peior canibus molossiccis, quales olim inter arma adhibebant milites in castris. De his Homerus loquitur Iliados initio; Strabo in ipso Libro IV Gallos memorat, qui istiusmodi canibus praeliantes uterentur.

(2) *Rimantes digitos costarum....* Nos, Apostolum Thomam referentes, de quo IOANN. XX, 27.

(3) *mediae rationis.* Sunt qui, non refragante HEINSIO, *stationis* legant. Nos tamen cum GISELINO facimus, et pro Heinsio ipso, qui in textu *rationis* retinuit, quod, uti ait, *stant pro hac scriptura membranae constanter.* Sensus autem, uti notat THEOLIVS, hic est: « Deum Patrem regem ex se protulisse, Christum nempe, pertinentem ad statum summum, medium, et imum, quia ex Patre natus humanam induit carnem, atque ad inferos usque penetravit. » Haec eadem occurrunt apud Sanct. PAVLINVM in Natal. S. Felicis carm. XI, v. 691 et seqq.

(4) *replicata* reparata. V. S. PAVL. Cap. 11 ad Ephes. v. 6.

Mortua quae fuerant, ipsos quoque subvehat artus.
Haec fore quum veterum cecinissent organa vatum;
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loquela
Experti, heroum tandem intelleximus orsa
Priscorum, et viso patefacta oracula Christo.
Haec est nostra salus, hinc vivimus, hinc animamur:
Hoc sequimur; numquam detracto nomine nati
Adpellare Patrem, Patris et sine nomine numquam
Natum nosse Deum: numquam nisi Sanctus et unus
Spiritus intersit, Natumque, Patremque vocare:
Sic tamen haec constare tria, ut ne separe ductu
Tres faciam: tribus his subsistat sed Deus unus.
Nec Pater ipse autem qui Filius; ut, quia Natum
Scimus ab Innato, vere Pater, et sata vere
Sit soboles: nec sic genitor sibi Filius ipse.
Perquam ridiculum est (1) et futile, natus ut ex *se*;
Sive Pater natus fuerit, sive ipse repente
Nascendi nova materies, ac se Deus ultro
Ediderit, natumque sibi se fecerit ipsum.
Nil falsum aut mendax divina vocabula fingunt.
Qui Pater est, gignendo Pater: tum Filius, ex hoc
Filius, auctore quod genitus (2) sit Patre summo:
Summus et ipse tamen; nec enim minor, aut Patre (dispar.
Unde in utroque operis forma indiscreta (3), nisi [omnem
Vim maiestatis Patriae generosus haberet

(1) *Perquam ridiculum.* Hunc versum, et qui consequitur restituit HEINSIVS quattuor m.ss. adiutus Vaticanis. Nos hunc sequimur prae Weitzio, qui istiusmodi versum post posuit bis centesimo nono et quadragesimo, qui incipit: « Sive pater natus fuerit etc. ».

(2) *auctore quod genitus sit.* Vaticc. praestantiores. — HEINSIVS paulo aliter in adnotationibus suis.

(3) *indiscreta*, indivisa. « Una operatio utriusque ». Vet. Glossa unius Vaticani.

Filius, idque Deus genitor, quod Filius, esset?
Pergunt ulterius scrutantes, quid sit idipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta diesque
Praevenit antiquos, et principium super ipsum
Eminet, et, quodcumque potest homo quaerere, transit.
Quum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere (1), quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto (2)
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?
Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus, quem
Non genitus genitor generaverit, unus et unum,
Integer integrum: non coeptum, sed tamen ortum,
Et conperpetuum (3) retro Patris, et Patre natum.
Sed nec decisus Pater est, ut pars Patris esset
Filius, extendens nec se substantia tractim
Produxit, minuitque aliquid de numine pleno;
Dum mutata novum procudit portio Natum.
Non convertibilis, nec demutabilis umquam
Est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit: atqui
Totus, et ex toto Deus est, de lumine lumen.
Quando autem lumen sine lumine? quando refulgens
Lux fulgore caret? quando est, ut proditus ignis
Ignem deminuat? quando Pater et Deus et lux,
Non lucis Deus, et (4) Pater est? qui, si Pater olim
Non fuit, et serum genuit post tempora natum,
Fit novus, inque novum ius proficit. Absit, ut umquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.

(1) *cui dabitur mortali exquirere....?* V. Isai, LIII, 8; et S. Avgvst. De Cons. Evang. L. II, C. 1.
(2) Vers. spondaic. V. vers. 285.
(3) *comperpetuum*. Coëternum. Prudentianum epitheton; uti *demutabilis* pro mutabilis quod nobis occurrit paullo infra.
(4) *at* Gisel.

Et Deus, et genitor, lumenque, et gloria semper
Ille fuit; nec post sibi contulit, ut Pater esset.
Sic fit, ut aeternum credamus cum Patre Christum,
Illo auctore satum, cui nullus praefuit auctor.
Haec tu (1) si dubitas nati mysteria Christi,
Perdite, catholica non es de plebe, sed unus
De grege turifero venerator (2), Deucalionum
Devotus cippo, ficulni et stipitis unctor (3).
Quin potius scrutare Dei signacula in ipso
Fonte vetustatis, percurre scrinia primi
Scriptoris (4): quem non Bardus pater (5), aut [avus augur,
Fabula nec veteris famae, nec garrula nutrix,

(1) *Haec tu*, « Sabelliane ». Vet. Glossa.

(2) *unus De grege turifero venerator*. Tu unus eorum es, qui falsis religionum numinibus tus adolere consueveris. Cfr. Barth. Advers. XLI, c. 24. — *Deucalionum devotus cippo*. Qui vetustissimos deos veneraris, e ligno factos. In Περὶ Στεφ. hymno X ad S. Roman. v. 410. Deucalionis uxorem memorat Pyrrham, ad denotandum vetustissimi numinis cultum.

(3) *ficulni stipitis unctor*. Idola saepe ficulnea erant, quamquam Horatius truncum ficulnum inutile lignum dicit (1 Sat. 8, 1). Ungebantur balsamo, aliisve odoratis unguentis, ut bonum redderent odorem, quemadmodum notat Glossator unius Vaticani.

(4) *scrinia primi Scriptoris*. Scrinia sunt arculae, loculi, in quibus chartae, scripta conderentur nonnullius pretii; et μετωνυμικῶς, scripta, quecumque vel prosa, vel numeris adscricta oratione. — *primi scriptoris*. Omnium antiquissimus rerum narratarum pronuntiator habetur Moises, uti testantur Grotivs De Verit. Religionis Christianae L. I, § XV, et Lavrent. Berti Theol. Tom. IV.

(5) *Bardus pater*. Bardus graeca vox Βαρδός, quid proprie et latine significet docet Plavtvs in Bacchid. V. 1, 2, ubi ait: « Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones ». Sed apud Gallos bardi poeticae arti dediti erant, et hostium virorum facta canere soliti V. Lvcan. 1, 447. Tria genera, scilicet fuere bardorum: Henages, Druidae et Bardi. V. Ammian. Marcellinvm Rer. Gestar. L. XV, 9.

Nec sago (1) clangore loquax et stridula cornix
Rem docuere Dei: sed coram proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Inbuit adloquio, seque ac sua summa retexit.
Nimirum meminit Scriptor doctissimus, illo
Orbis principio non solum, nec sine Christo
Informasse Patrem facturae plasma novellae.
Fecit, ait, condens hominem Deus, et dedit olli (2)
Ora Dei. Quidnam est aliud, quam dicere, solus
Non erat? atque Deo Deus adsistebat agenti,
Quum Dominus faceret Domini sub imagine plasma?
Christus forma Patris, nos Christi forma et imago (3)
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post saecula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,
Nî refugis, quae te doceant, non in Patre solo
Vim maiestatis positam, sed cum Patre Christum
Esse Deum; velut illud ait Genealogus (4) idem:
A Domino Dominus flammam pluit in Sodomitas.
Quis Dominus? de quo Domino? si solus ab arce
Siderea spectat Pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam Domini Patris ignibus iram
Spargebat Dominus: sunt unum fulmen utraque.

(1) GISEL. *saga*.
(2) *Olli* = archais, pro: illi.
(3) *nos Christi forma et imago*. V. GENES. 1, vers, 26, 27. Sed hic de anima rationali intellige.
(4) *Genealogus* est qui genealogiam scribit aut narrat. Moises genealogus dicitur, qui Pentateucum scripsit, cuius liber primus GENESIS vulgo appellatur, ubi nempe historicus a rerum omnium creatione exorditur. — *A Domino Dominus*. Poëta nomen Domini iterando Filii a Patre distinctionem innuere videtur; qua in re cum eo omnes consenserunt. Vide sis in hunc locum IANSEN. IPREN. Commentar.

III

ADVERSVS IVDAEOS

Ad Iudaeos hic versus suos detorquet Prudentius, quem populum vel a Moisis temporibus tamquam gentem incredulam et pervicacem arguit. Eorum Agnum Paschalem mysticum semper sensum habuisse ostendit, atque Messiae adventum, vitam mortemque praenuntiasse. Quem Messiam Filium esse Dei comprobat maxima humani generis pars, quae eius doctrinam facile est amplexa; itemque demonstrant daemones, potentia divina Iesu Christi, et virtute discipulorum depulsi. Hic autem Imperatorem Iulianum ut testem idoneum in medium profert, qui Dianae sacrum faciens, litare nequaquam potuerit. Tandem notat Ierosolymorum urbem dirutam, templum Salomonis eversum, ipsos met Iudaeos huc illuc exules solum vertisse, satisque palam ostendisse humani generis Redemptorem advenisse; quem tamen iidem degeneres Iudaei, obcaecati ad mortem adegerunt, et innocentissimo eius sanguine respersi poenas in dies luere, quas in se ac suum caput sunt olim exsecrati.

Haec si Iudaïcos sic intellecta rigâssent
Auditus, stupidas ut possint (1) tangere fibras,
Audîssent Dominum virtutum, qui pereuntes
Venerat ut servaret oves: sed ab auribus omnis
Fluxerat ornatus, caput et iam coctile (2) Bäal
Finxerat, auriculasque suo spoliârat honore.

(1) *ut possint tangere.* Gisel. aliique *ut possent.*

(2) *Caput et iam coctile.* S. Cyprianvs. De Bono Patientiae sub fin.; S. Ambrosivs. Ep. LII; Lactantivs, aliique non iam totum vitulum, sed vituli tantum caput effictum esse contendunt. Ceterum *Baal*, nomen indecl., hebraice בַּעַל, Deus fuit ab Assyris, a Phoenicibus et quandoque Iudaeis excultus. Vox ipsa Dominum significat; idemque Poenis *Baal* fuit, qui Iuppiter apud Graecos

Dux populi peccantis adest de monte corusci
Luminis, adloquioque Dei, tabulasque tremendo
Incisas digito caeca ad tentoria defert.
Sed cadit in faciem plebs (1), non visura profundae
Legis in effigie scriptum per enigmata Christum.
Infelix, quae luce oculos praestricta paventes
Texerit, et presso faciem velârit amictu?
At nos reiecto Christum velamine coram
Cernimus (2), atque Deum vultu speculamur aperto;
Nec, sub lege gravi, depressa fronte iacemus,
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.
Heu, frondosa (3) prius ramis felicibus arbor!
Pinguibus, heu, quondam radix oleagina baccis!
Ecce tibi inserto revirescit nunc oleastro
Truncus, et externi vestitur cortice libri.
Iam miserere tui. Non se silvestris olivi
Surculus, exultans alieno stipite, iactat;
Sed monet, ut generis proprii memor, unguine amaro
Contristare comas desuescas, stirpe nec imo
Invideas missis in celsa cacumina virgis.

Romanosque. Pro numine hic generatim accipitur. Vide sis SELDEN, *De Diis Syr. Syntagm.* 11. C. 1. Noster primam vocis syllabam longam fecit; e contrario corripuerunt SEDVL. V. 147, aliique.

(1) *Sed cadit in faciem*, etc. Iudeorum caecitatem notat poëta Sed Moyseu, uti legitur in Exod. XXXIV, 33 videmus velo faciem, non populum obtexisse. Equidem istiusmodi velum in faciem Moysis, teste S. PAVLO II ad Corinth. III, 13, signum fuit et figura velaminis, quo Iudaeorum corda obtegerentur, essetque eis impedimento, quo minus in Christum crederent, eiusque mysteria amplecterentur. Rem idcirco, sermone usus tropologico, pro signo rei posuit methonimice poëta.

(2) *At nos reiecto Christum velamine coram Cernimus*. V. S. PAVL ad Corinth., III, 18.

(3) *Heu, frondosa prius ramis*, etc. En hic nobis populi Iudaici, veteribus supestitionibus adscricti descriptionem figuris adumbratam, eamdemque ex Ap. PAVLO ad Rom. XVI, 17 depromptam, uti egregie ESTIVS declarat.

Blasphemas Dominum gens ingratissima Christum.
Pascha tuum dic, díc cuius de sanguine festum
Tam solemne tibi est? quis tandem caeditur Agnus
Anniculus? sacer ille tibi redeuntibus annis;
Sed sacer in pecude. Stultum est sic credere sacrum;
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lascivire choris (1), similaginis azymon esse,
Quum fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis, imprudens (2), nostrum te effingere Pascha?
Legis et antiquae praeductis pingere sulcis
Omne sacramentum, retinet quod passio vera;
Passio, quae nostram defendit sanguine frontem (3),
Corporeamque domum signato conlinit ore?
Hanc fugit exclusis Aegyptia plaga (4) flagellis:
Haec regis Pharii regnum ferale resolvit;
Deque potestatis mundanae grandine densa (5)

(1) *Lascivire choris...* Pravam Iudaeorum consuetudinem Sabbatum, aliosque sollemnes dies festos avocamentis indecoris profanisque concelebrandi SS. Ecclesiae Patres improbavere, in quibus S. Avgvst. in Psalm. XCI, S. Io. Chrysost. Homil. I. De Lazaro; Theodoretvs, Quaest. XXXII in Levit. aliique, qui uno ore Christiani nominis sectatores sunt cohortati ut a Iudaeis, tam vitiosi exempli auctoribus, recederent.

(2) *Non sapis... nostrum te effingere.* Et recte id quidem « Omnia enim in figura contigebant illis. » S, Pavl. Ad Corinth. X, 11 — « *nostrum pascha* » Id. Ep. V. 7, Vide S. Avgvst. *De Civit. Dei* VII, 32.

(3) *nostram defendit sanguine frontem.* « Typo antitypum opponit (nos: *alla figura la realtà contrappone*); hoc est Christi sanguinem, Passionem et Crucem, qua frontem signamus, et domum corpoream, Sanguini Paschalis Agni, quo postes olim signabantur. » Christoph. Cellarivs.

(4) *Hanc.* scil. « domum » Glossa Vet. — *flagellis.* Gisel. in margine edit. suae scribit: *procellis.* — *regis Pharii*, regis Aegyptiorum, qui daemonem effingeret.

(5) *Deque... grandine densa.* Grando metaphorice pro gravi insectatione, vexatione, qua quis opprimitur.

Eripit Abraham cum stirpe et gente fideli.
Abrahae genus est (1) verum, cui sanguis in ore
Creditus, inscriptusque rubet: cui visus in orbe,
Haud dubitante fide, Deus est, Deus ex Patre verus.
Ille Deum vidit, visum mox credidit: at tu,
Posteritas carnis, carnaliter (2) omnia cernens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus (3) implet
Interior: nec enim caelo lex carnea fluxit,
Quam tu carne colis: sed Christo feta (4), meamque
Spem paritura utero. Quam spem! nisi numinis almum
Lumen (5), et adventum Domini, quem viderat Abrae
Prima fides, nostrisque pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, et legis voce probandum (6).
Nec solum legis: nam quae iam littera Christum
Non habet, aut quae non scriptorum armaria (7) Christi
Laude referta, novis celebrant miracula libris?
Hebraeus pangit stilus, Attica copia pangit,
Pangit et Ausoniae facundia tertia linguae.
Pilatus iubet ignorans: I, scriba, tripictis
Digere versiculis, quae sit suffixa potestas,

(1) *Abrahae genus.* Christiani videlicet, qui in Cruce et Sanguine Christi, uti S. Paulus, gloriantur.

(2) *carnaliter omnia cernens.* Quod Hebraeorum fuit. V. Ioan. VIII, 15; et ad Rom. IX.

(3) *quam spiritus implet.* Etenim, uti ait Ioan. VI, 64: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. »

(4) *Christo feta.* plerique. — Gisel. *fixa* varia lect. in marg. edit. suae.

(5) *numinis almum Lumen.* Vatic. unus magni momenti; et Gisel.

(6) *legis voce probandum.* Ob hanc causam Redemptor noster Iudaeis ut Sacras Scripturas perlegerent auctor erat. V. Ioan. V, 39.

(7) *armaria,* « scrinia, volumina. » Vetus Glossa.

Fronte Crucis: titulus sit triplice lingua (1).
Agnoscat Iudaea legens, et Graecia nôrit,
Et venerata Deum percenseat aurea Roma.
Quidquid in aere cavo (2) reboans tuba curva remugit,
Quidquid ab arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Aemula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.
O nomen praedulce mihi! lux, et decus, et spes,
Praesidiumque meum! (3) requies o certa laborum!
Blandus in ore sapor, flagrans odor, inriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas.
Si gens surda negat sibi tot praeconia de te,
Tam multas rerum voces, elementaque tantae
Nuntia laetitiae, stolidas intrare per aures;
Audiat insanum (4) bacchantis energima monstri,
Quod rabidus clamat capta inter viscera daemon,

(1) *titulus sit triplice lingua.* De inscriptione cruci proposita hic est sermo. Vide sis SAMVELEM REYERVM Thes. Theol. Pil. Antuerp. et Utraieti an. 1701; et BINAEVM apud Cren. Fasc. 3.

(2) *quidquid in aere cavo* etc. Qui negant decere omnino Christianos uti musico quolibet instrumento ad sacra celebranda, haec iuvabit relegere, et Card, BONAM subalpinum nostrum adire « De Divina Psalmodia. » Cap. VII.

(3) Quis in Christi nomine celebrando non videt apte Prudentium Horatianam lenitatem, aliud veluti agendo, referre? S. BERNARDVS equidem nostrum feliciter est imitatus, dum omnium dulcissimum CHRISTI nomen laudibus suis exornat. V. Serm. XV *in Cantica.*

(4) *insanum*, absolute pro adverb. *insane.* — *energima monstri.* Est ἐνέργημα effectus ex vi quapiam et efficacia prodiens. Usurpant scriptores ecclesiastici hanc vocem ad denotandam daemonum vexationem; quo facto daemoniaca vi correpti mortales ἐνεργούμενοι dicuntur.

Et credat miseranda suis (1). Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi (2)
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguae,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini: Fuge, callide serpens,
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas?
Desine: Christus adest, humani corporis ultor:
Non licet, ut spolium rapias, cui Christus inhaesit.
Pulsus abi, ventose liquor; Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius (3) ardens
Eiulat, et notos suspirat Iuppiter ignes.
Ecce Gerasenos legio (4) ruit effera porcos,
Et post multiplices busti sub rupe catenas,
Poenarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamârat, sed ab ore hominis: cognoscimus, Iesu,
Nate Deo, nate sceptris et germine David,
Qui sis, quid venias: qua nos virtute repellas
Novimus, adventusque tui terrore iacemus.
Haec, Iudaea, tuas vox non pervenit ad aures?
Pervenit: mentem sed non penetravit egenam

(1) *credat miseranda suis.* Iudaeorum, gens miseranda, saltem daemonibus credat, ad quos pertinet, qui Christum confiteri coguntur. De potestate quam in Daemones Redemptor humani generis exeicuit Vide. MATTH. XI, 25; LVC. XI, 20.

(2) *fulmina verbi... verbera linguae.* Hisce ferme dictionibus utitur CYPRIANVS *contra Demetr.*, ad denotandam eam obtestationem seu adiurationem in Daemones, quam Graeci ἐξορκισμόν appellare consueverunt. V. TERTVLL. Cor. Milit. 11; LACTANT. L. V. c. 21.

(3) *Cyllenius.* Mercurius, Cyllenius cognominatus ab Arcadiae monte, ubi est natus. — *notos suspirat Iuppiter ignes.* — Quae verba ad exorcismos referuntur, nisi fallor, quibus haud aliter ac igne daemones torquerentur. V. Περὶ Στεφ. 1, 103 et seqq.

(4) *Ecce Gerasenos.* V. MATTH. VIII, 30.... *busti sub rupe.* Vide. Καθημ. IX, 52, ubi vidimus *antro bustuali.*

Lucis, et a primis foribus disclusa refugit.
Audiit adventum Domini, quem solis Hiberi (1)
Vesper habet, roseos et qui novus excipit ortus.
Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox Evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas
Solvit, ut exutus glacie iam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopeïus Hebrus (2).
Mansuevere Getae, feritasque cruenta Geloni (3)
Lacte mero sitiens exsanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus (4).
Novit et Atlantis pridem plaga perfida Mauri,
Dedere crinitos ad Christi altaria reges (5).
Ex quo mortalem praestrinxit Spiritus alvum,
Spiritus ille Deus; Deus et se corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit;
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra (6),
Non tripodas cortina (7) tegit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris (8).

(1) *solis Hiberi.* occidui solis.

(2) *Rhodopeïus.* Hebrus Rhodopeïus, fluvius dicitur, quia e Rhodope dimanat, monte in Thracia, qui propter altitudinem et asperitatem Caucaso simillimus potest appellari.

(3) *Getae... Geloni.* Populi Scythiae Europaeae, qui maiorem in praelio ferociam ostentaturi, sese in cute depingere, et corpus stigmatis ornare consueverant, sitimque sanguine agnino restinguere.

(4) *libatura Sacros*, etc. quae verba ad SS. Eucharistiam respiciunt.

(5) *Crinitos... reges.* Hoc in more fuit positum apud Mauros, Africae populos, aliosque orientales nulla humanitate politos capillum alere, eumque unguentis delibutum ostentare multis ornamentis insignitum.

(6) *Delphica damnatis*, etc. « Ex quo Iesvs coli coeptus est, publicam Deorum opem nemo sensit ». Porphirivs apud Euseb.

(7) *Non tripodas cortina tegit* etc. De cortina et tripode Apollinis V. quae Servivs habet ad Aneid. III, 92.

(8) *Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.* Super Sibyllas, earumque carmina fatidica voluminibus descripta multa habent

Perdidit insanos mendax Dodona (1) vapores,
Mortua iam mutae lugent oracula Cumae,
Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Hammon (2).
Ipsa suis Christum Capitolia Romula moerent
Principibus lucere Deum, destructaque templa
Imperio cecidisse ducum. Iam purpura supplex
Sternitur Aeneadae rectoris ad atria Christi,
Vexillumque Crucis summus dominator adorat.
Principibus tamen e cunctis non defuit unus (3),
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,

Varro, Augustinus, Lactantius, (1, 6), Onuphrius Panvinius, aliique, quos licebit cuique ad manus habere. Hic satis fuerit adnotasse *fanaticos* proprie fuisse dictos fanorum sacerdotes Isidis, Bellonae et Cybeles, a *fanum;* ac proinde toto caelo errasse quotquot in auimum sibi induxerunt Prudentium in hoc loco versus sibyllinos omnino aversari, omniaque respuere, quae ad tempus futurum in Sibyllinarum libris occurrunt. Cfr. prae ceteris P. Gasparem Saccarellvm *in Hist. Ecclesiast.* quae in Tom. II pertingit ad ann. Christianum CXXVII.

(1) *Mendax Dodona.* Dodona, ae; et Dodone, es urbs fuit Epiri in Molossia, seu Thesprotia. Absolute pro sacerdotibus Iovis Dodonaei. Docet Servivs ad Virg. Aen. III, 166 etc. ibi prope Dodonam nemus fuisse, ubi columbae pervolitarent, quae oracula petentibus respondere consueverant. Alii vetulas quasdam sagaciores ea loca inhabitare credebant, quae Thessalorum lingua πελειάδες pro πολιάδες vocabantur. Sunt qui quercus ipsas existiment foliorum strepitu responsa dedisse, aut ex murmure fontis prope decurrentis, vate anu interprete.

(2) *Libycis in Syrtibus....* Iovis Hammonis oraculum fuit ultra Syrtes in Marmarica, quae est regio Aegypto contermina. Sed poëtarum geographia in locorum descriptione latior plerumque fuit. Complura Iovis Hammonis σχήματα nobis exhibet Montfavconivs in Antiq. Explic. T. 1, L. II, c. 2. c. III. — *ipsa Capitolia Romula.* Capitolium prae ceteris urbis locis memorat poëta, ubi innumeri Dii colebantur; ideoque Tertvll. de Spectaculis Capitolium: *omnium Daemoniorum templum* appellat.

(3) *Principibus tamen e cunctis non defuit unus.* Iste imperator Iulianus fuit, qui, quum a Christianorum doctrina defecisset, apostata cognominatus est.

Conditor et legum, celeberrimus ore manuque,
Consultor patriae, sed non consultor habendae
Religionis, amans tercentum millia divûm:
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi.
Augustum caput ante pedes curvare Minervae
Fictilis, et soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incerare Dianae (1);
Quin et Apollineo frontem submittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.
Forte litans (2) Hecaten placabat sanguine multo;
Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina vaccarum steterant, vitulasque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.
Iamque insertato reserabat viscera cultro
Vittatus de more senex, manibusque cruentis
Tractabat trepidas letali frigore fibras,
Postremosque animae pulsus in corde tepenti (3)
Callidus interpres numeris et fine notabat:

(1) *genua incerare Dianae.* Codd. WEITZIANI *incurvare*, quibus adsentitur GISELIN. Sed HEINSIVS, *incerare*; quae lectio est retinenda. V. 'Αμαρτιγ. v. 405. TVRNEBVS ad IVVENAL. Sat. X, 55 ait: « Non cereis candelis oblatis illinire; sed concepta vota, et in tabulis conscripta, deorum genibus cera obsignata figere. » Vide sis et ad TIBVLL. III, 27.

(2) *forte litans.* Discrimen inter sacrificare et litare iam alias tetigi. Vide tamem AVSONII POPMÆ « de Differentiis Verborum. ect. » — Poëta hic narrat Imperat. Iulianum olim Dianae sacrificaturum litare nequivisse. Quum rei causam quaesisset, responsum statim esse, inter satellites unum Christianum fuisse detectum. Quo audito territum extemplo aufugisse. Id evenisse negat CLERICVS sed frustra. Cfr. de hac re BARONIVM; THEODORETVM Hist. Eccles. L. III, c. 3, SOZOMEN. Hist. L. V. C. 2; demum S. GREG. NAZIANZ. in Oratione adversus Iulianum.

(3) *animae pulsus in corde tepenti..... notabat.* Veteribus superstitionibus innutriti in tepentibus caesarum victimarum extis Deorum voluntatem stultissimi omnium perscrutabantur. Quos SENECA exagitat in Quaest. Natur. 11. Vide sis de hac re CAESERIS BYLENGERI opus *De Magia.*

Quum subito exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus: en quid ago? maius, rex optime, maius
Numen nescio quod nostris intervenit aris,
Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte (1),
Caesarum sanguis pecudum, verbena, coronae.
Accitas video longe dispergier (2) umbras,
Territa Persephone vertit vestigia retro,
Extinctis facibus, fracto fugitiva flagello.
Nîl agit arcanum murmur, nìl Thessala (3) prosunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.
Nonne vides, ut turibulis frigentibus ignis
Marceat? ut canis pigrescat pruna favillis?
Ecce Palatinus pateram retinere minister (4)
Non valet, elisa destillant balsama dextra;
Flamen et ipse suas miratur vertice laurus
Cedere, et incertum frustratur victima ferrum.
Nescio quis, certe subrepsit Christicolarum
Hîc iuvenum. Genus hoc hominum tremit infula, et [omne
Pulvinar divûm: lotus procul absit, et unctus (5).

(1) *spumantia cymbia lacte,* V. Virg. *Aen.* III, 66.

(2) *dispergier umbras*, dispergier παραγωγή. — video scilicet manes in fugam actos, daemones ex inferis evocatos. — *Persephone* est graeca Proserpinae appellatio; quae ita cognominatur tamquam Regina Inferorum. Codd. et ipsi Vatican. scribunt *Thersicore*, aut *Thersisore.* (sic.) Sed Heinsivs ex variis lectionib. *Persephone* omnino comprobat, quod hic de sacris Proserpinae sermo habeatur.

(3) *Thessala.... Carmina.* Obiter in Περὶ Στεφ, X, 869 de carminibus Thessalicis diximus.

(4) *palatinus minister.* Ministrum intellige Caesareum ad Palatium, sive domum palatinam Caesaris pertinentem.

(5) *lotus procul absit et unctus.* Haec erant verba concepta, quibus Christiani paganorum sacris interesse prohibebantur. *Loti*, videlicet erant Baptismo rite abluti; *uncti* scil. Chrismatis Oleo Sancto consacrati seu confirmati. V. Ψυχομαχ., 360.

Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, et exsanguis collabitur; ac, velut ipsum
Cerneret exserto minitantem fulmine Christum,
Ipse quoque exanimis, posito diademate, princeps
Pallet, et adstantes circuminspicit (1): ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signârit tempora ligno;
Qui Zoroastraeos turbâsset fronte susurros (2).
Armiger e cuneo puerorum flavicomantum (3)
Purpurei custos lateris deprênditur unus (4):
Nec negat, et gemino gemmata hastilia ferro
Proiicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit pavidus, deiecto antistite, princeps,
Marmoreum fugiens, nullo comitante, sacellum.
Tum tremefacta cohors, dominique (5) oblita, supinas
Erigit ad caelum facies, atque invocat Iesum.
Iam ne piget facti? iam poenitet? en tibi Christum (6),
Infelix Iudaea, Deum: qui sabbata solvens
Terrea, mortales aeterna in sabbata (7) sumsit.

(1) *circuminspicit*. Ita codd. Vaticc. praestantissimi. Non tamen abs re CELLARIVS *circumspicit* revocavit. V. Ψυχομ. v. 733; et Giseliu editt.

(2) *Zoroastreos..... susurros*. De magicis Zoroastri ritibus legere praestat *Dissertationem* doctam in primis Ioannis *Prideau Histoire de Iuifs* V. I. — *sussurros:* quaedam mussitare, et intra dentes proferre nonnulla verba concepta, et preces in ignes sacros solebat Zoroaster.

(3) *flavicomantum*. Flavicomantes, flavas comas habentes; qui magni habiti fuere, uti videmus penes OVID. Fastor. II. Fortasse hic poëta praetorianos designat Germanos, aut ex aliis regionibus septemtrionis, qui *protectores* ideo vocabantur, quod Principis latus tegerent.

(4) *deprehenditur unus*. GISELIN: deprênditur Forte « *Unus* est ipse Prudentius. » Glossa Vetus.

(5) *dominique*. « Imperatoris » Vet. Gloss.

(6) *en tibi Christum*. En *Deum*, quasi δεικτικῶς ostentandi causa.

(7) *aeterna sabbata*. Sabbath a verbo hebraico שבה, requievit, est dictus septimus quisque hebdomadae dies, quo die

Gentibus emicuit, praefulsit regibus, orbem
Possidet, imperii dominam sibi cedere Romam
Compulit, et simulacra deûm Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis, quo vindice tandem
Vana superstitio, lex et carnaliter acta
Plectatur; cuius virtus te proterat ultrix.
Destructone iacent Salomonia saxa metallo,
Aedificata manu? Iacet illud nobile templum.
Cur iacet? artificis quia dextra solubilis illud
Caementum struxit resolubile: iure solutum est,
Et iacet, in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.
Si nostrum contra, quod sit, vis discere, templum (1),
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, quod nulla abies, pinusve dolata
Texuit; exciso quod numquam marmore crevit:
Cuius onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curvato tenui super arte pependit;
Sed Verbo factum Domini, non voce sonora:
Sed Verbo, quod semper erat. Verbum caro factum est.
Hoc templum aeternum est, hoc finem non habet, hoc tu (2)
Expugnare volens, flagris, cruce, felle petisti.
Destructum iacuit poenis vexantibus: esto.
Matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.
Sed, quod morte brevi materna ex parte solutum est,

Hebraei ab omni opere feriantur. Patriam hic coelestem intellige, quam per Iesvm Christvm intramus. V. S. Pavl. ad Hebr. c. IV; et Evangelior. interpretes.

(1) *nostrum templum* Qua ratione Christus templum divinitatis sit appellandus vide sis interpretes ad illud Apost. Pavl. ad Colossenses. 11, 19.

(2) *hoc tu.* « Iudaea. » Vet. Glossa.

Maiestate Patris vivum lux tertia reddit.
Vidisti, angelicis comitatum coetibus, alte
Ire meum, cuius servor munimine, templum.
Illius aeternae suspendunt culmina portae,
Ac per inaccessas scalarum gloria turres
Tollitur, et gradibus lucet via candida summis.
At tua congestae tumulant holocausta ruinae:
Quid mereare, Titus docuit; docuere rapinis
Pompeianae acies (1); quibus exstirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.
Exsiliis vagus huc illuc fluitantibus errat (2)
Iudaeus, postquam patria de sede revulsus,
Supplicium pro caede luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.
En quo priscorum virtus defluxit avorum?
Servit ab antiquis dilapsa fidelibus heres
Nobilitas, sed iam non nobilis. Illa recentem
Suspectat (3) captiva fidem: vis tanta novellae
Credulitatis inest. Christum confessa triumphat
Gens infida prius; Christi sed victa negatrix
Subditur imperio, dominos sortita fideles.

(1) *Pompeianae acies*. Pompeius Iudaeos male mulcavit, et stipendiarios fecit. V. IOSEPH. L. XIV.
(2) *exiliis vagus*, V. S. HIERON. Epl. ad Dard.
(3) *suspectat* GISEL. sed Edit. Maurin. *susceptat* pro eo quod est *suspectat* per metathesin.

IV

CONTRA HOMVNCIONITAS *

Sunt qui Iudaïco cognatum dogma furori
Instituunt, media Christum ratione secuti.
Hoc tantum quod verus homo est; at coelitus illum
Adfirmant non esse Deum; pietate (1) fatentur,
Maiestate negant: morum pro laude sacratum
Concelebrant: adimunt naturae summa supernae.
Omne opus egregium, per quod sollertia pollens
Emicat, ingenii est, aut roboris: illud acuto
Corde viget; duris excellit viribus istud.
Mortale est sed utrumque homini: nam cana senescunt

(*) Ita Isonivs, vetustior Prudentii interpres, legit ex glossis. Alii *Homunsionitas;* alii vero cum Giselino *Homuntionitas.* In Vaticanis m.ss. plerisque lemma desideratur; unus tamen ex octo et viginti codd. Vaticc. exhibet luculenter, *Homuncionitas.* Quidquid sit Victor Giselinvs de Homuncionitis haec habet: « Hebionitae alias apellantur ab Hebione, sive a *paupertate*, adversus quos Pavlvs ad Galatas scribens invehitur. Hi, teste Hilario L. I *de Trinitate*, Christum ex viro et muliere natum esse, et rerum ab eo pie ac miraculose gestarum nomine ἀποθεωθῆναι, seu Deum effectum esse asserebant. » In eos Ioannes perscripsit, dedita opera, Evangelium suum, suasoribus et auctoribus Asiae Episcopis, uti testatur Hieronym. *De Scriptoribus Ecclesiastic.* Contra istiusmodi perversae doctrinae magistros Prudentius insurgit, eosque oppugnat tribus argumentis usus, scilicet nobili Isaiae Vaticinio; Magorum adventu, qui Betlhem ad Christi infantuli pedes adoraturi procubuerunt; tandem miraculis magnis ab Eo patratis, quorum nonnulla disertim describit.

(1) *pietate fatentur.* « Homo dignatus est fieri, quod pietatis est. » Vet. Glossa.

Ingenia, et validos consumunt saecla lacertos.
Haec nos (1) in Domini virtute et laude perenni
Non sequimur: sequimur, nullo quod semine terrae
Germinat, immundum quod non de labe virili
Sumit principium, tener illum seminat ignis (2):
Non caro, nec sanguis patrius, nec foeda voluptas.
Intactam thalami virtus divina puellam
Sincero adflatu per viscera casta maritat:
Incomperta ortus novitas, iubet ut Deus esse
Credatur Christus sic conditus. Innuba Virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris.
Pubertas signata manet, gravis intus, et extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica.
Iam mater, sed virgo tamen, maris inscia mater.
Quid renuis? Quid inane caput, non credule (3), quassas?
Angelus hoc Sancto fore nuntiat ore: placetne
Credere, et angelicis aurem reserare loquelis?
Ipsa coruscantis monitum sacra Virgo ministri
Credidit, atque ideo concepit credula Christum.
Credentes nam Christus adit: dubitabile pectus
Sub titubante fide refugo contemnit honore.
Virginitas et promta fides Christum bibit alvo
Cordis, et intactis condit paritura latebris.
Crede quod emissus solio Patris angelus infit.
Vel, si concretus liquidam de sidere vocem
Non capit auditus, mulier quid coniuge praegnans (4)

(1) *haec nos.* Theolivs: « Virtutem, seu excellentiam, quam nos Catholici in Christo Domino veneramur, non esse in hominis viribus adquisitam, et quae ceteris in hominibus reperiri possit, sed aeternam, ac solius Filii Dei propriam. »

(2) *tener illum seminat ignis.* Deus scilicet, qui ignis purus est, illum Christum gignit. Quae verba Isonivs ad S. Spiritum docet referri.

(3) *non credule* « perfide, vel Homuncionita. » Vet. Glossa.

(4) *quid coniuge...* « marito Zacharia ». Vet. Glossa.

Clamet anus, credens et tandem sobrius audi.
Mira fides! utero puer interceptus anili,
Virgineum Dominum materno ex ore salutat
Primus, et infantem non natus nuntiat infans
Iam nostrum vagire sibi: nam pusio nondum
Nôrat (1), et ora Deo reserabat garrula Christo.
Promite secretos fastus: date, pandite librum,
Evomuit, spirante Deo, quem sanctus Esaias.
Percensere libet, calamique revolvere sulcos,
Sidereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc, dum rutilos apices submissus adoro,
Dum lacrimans veneror, dumque oscula dulcia figo.
Gaudia concipiunt lacrimas, dant gaudia fletum.
Advenit promissa dies, quam dixerat iste
Adfore versiculus (2), quum Virgo puerpera, teste
Haud dubie sponso, pacti cui cura pudoris,
Edidit, Emmanuelque (3) meum me cernere fecit.
Estne Deus iam noster homo? Versatur et adstat
Nobiscum, nomenque probat; versumque vetustis
Obscurum saeclis praesenti inluminat ore.
Estne Deus, cuius cunas veneratus Eous (4),
Lancibus auratis regalia fercula supplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pinnatus rapidoque simillimus austro

(1) *nôrat.* scil. « loqui ». Vet. Glossa. — *secretos fastus* — Migne edit. *secretos fastos* scil. *annales.*

(2) *versiculus.* Refertur ad Isaiam VII, 14 « Ecce virgo concipiet etc. » Hic vero praestat legere quas contra impia Iudaeor. commenta Vindicias scripsit Wagenselivs Tel. Ign. Satan. T. I. Sed hanc Wagenselii elucubrationem nemo cum fructu legere possit, uti, apte notat Theolivs, qui linguae hebraicæ studia minime a limine salutaverit.

(3) *Emmanuelque* Quod nomen idem valet atque « Deus nobiscum. » V. Matth. 1, 25.

(4) *Eous.* A graeco ἐώς aurora; et de Magis est sermo, qui ab oriente venerant. V. Καθημ. XI, 62; Sedvl, L. II, 24.

Nuntius, aurorae populos, atque ultima Bactra (1)
Attigit, inluxisse diem lactantibus horis (2),
Qua tener innupto penderet ab ubere Christus?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri (3),
Et super antiquos signorum ardescere tractus.
Diriguit trepidans Chaldaeo in vertice pernox
Astrologus, cessisse anguem, fugisse leonem;
Contraxisse pedes lateris manco ordine Cancrum:
Cornibus infractis domitum mugire Iuvencum.
Sidus et Hircinum laceris marcescere villis. (4)
Labitur hinc pulsus Puer hydrius (5); inde Sagitta;
Palantes Geminos fuga reparat: improba Virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quique alii horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere novum: rota lurida solis
Haeret, et excidium sentit iam iamque futurum (6).

(1) *ultima Bactra.* Ultima Persici regni regio, totiusque tum orbis terrarum confinium.

(2) *luctantibus horis.* Quinque codd. Vaticc., in quorum uno Vet. Glossa: « quando Christus luctabatur. » — Weitzivs *laetantibus horis*. Aldvs, Gisel. et Heinsivs *lactantibus horis*, scilicet quo tempore infantulus ab ubere matris penderet. Hoc sensu Avson. ad Nepotem Ausonium Aidyl. l. IV, 67-68; « multos lactantibus annis Ipse alui. »

(3) *per sidera ferri.* Magi stellam viderunt, quae divinum Puerum, orbis terrarum regem, significaret natum. V. Chamillard.

(4) *Sidus et Hircinum*, quod Capricornus vocatur.

(5) *Puer Hydrius* est Aquarii sidus. » — *inde Sagitta*, signum celeste spiculum habens ad pedes Equi, alteram vero partem ad humeros Ophiunchi. — *prodit amatores tacitos* utramque ostentat Ursam, Maiorem et Minorem.

(6) *excidium sentit iam iamque futurum.* De hora diei memorabilis, qua Redemptor generis humani, « insontem animam tecum, Pater! accipe dixit, Supremamque auram, ponens caput, expiravit », uti cecinit Hieron. Vida, (Christiad. V, sub fin. Evangelistae Lvcas, Matthevs, et Marcvs prima fronte dissentire videntur. Sed Vitam Iesu Christi adi a Didon, Patre Dominiciano, docte perscriptam Tom. II, Cap. VIII, pag. 331,

Seque die medio velandam tegmine glauco,
Splendoremque poli periturum nocte diurna,
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.
Hunc ego non cumulem myrrhaeque et turis et auri
Muneribus? Scio, quem videam, quae dona rependam.
Hunc ego non venerer? qui caelo visus, humique
Inventus rex, atque Deus moderatur utrumque
Naturae specimen, tumuloque inferna refringens
Regna, resurgentes secum iubet ire sepultos?
Caelum habitat, terris intervenit, abdita rumpit
Tartara. Vera fides; Deus est, qui totus ubique est.
Numquid vana viros aut mens aut lingua fefellit?
Numquid fortuitis frustrantia dona dederunt
Casibus? aut caeco votum sub honore dicârunt?
Quae porro caussa aut ratio, submittere colla
Ante pedes Mariae, puerique crepundia parvi (1);
Si tantum mortalis erat, nec summa potestas
Implebat teneros divinis flatibus artus!
Sed iam tolle Magos, tus, aurum, myrrhea dona,
Quae verum docuere Deum: praesepia, pannos.
Matris adoratum gremium. Face sideris ardens
Ipsa Deum virtus, factorum et mira loquantur.
Insanos video subito mitescere ventos (2)
Quum iubeat Christus: video luctantia magnis
Aequora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Christi: video calcatus eumdem
Quum patitur gurges tergum solidante liquore.
Ipse super fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, ac presso firmat vestigia fluctu:
Increpat ipse notos, et flatibus otia mandat.
Quis iubeat saevis Aquilonibus, ite, silete

(1) *puerique crepundia parvi.* V. Περὶ Στεφ. hymn. III. 19.
(2) *insanos... mitescere ventos.* V. MATTH. VIII, 24; XIV, 25.

Carceribus vestris, amploque facessite ponto,
Sit nisi Caelipotens, Aquilonum conditor idem?
Ninguidus agnoscit Boreas, atque imbrifer Eurus
Nimborum dominum, tempestatumque potentem (1);
Excitamque hyemem verrunt ridente sereno.
Quis pelagi calcârit aquas? quis per vada glauca
Gressibus impressis spatiatus triverit udum
Non submersus iter, sola pendulus, et pede siccus (2),
Aequoreae nisi factor aquae? qui Spiritus olim (3)
Ore superfusus patrio volitabat in undis
Nondum discretis, nec certo litore clausis.
Sustinuit gressum domini famulus liquor, ac se,
Mobilitate carens, solidos substrinxit ad usus.
Quid diversa Dei memorem facta inclita Christi,
Altius inspecta quem maiestate negator
Haud dubitans hominem, tute ipse fatebere Numen?
Inlevit caecos oculos, et lumina limo (4)
Reddidit humectam (5) sacro sputamine terram
Contrectans digitis. Luteum medicamen operta
Nox habuit; tenebras obducta uligo removit.
Insuper ostendit quonam caligo lavacro
Expurganda foret, variis Siloa refundit
Momentis latices (6), nec fluctum semper anhelat,

(1) *Nimbor. dominum* etc. V. Virg. *Aen.* 1, 80.

(2) *Non submersus iter, sola pendulus, et pede siccus.* Ἑλληνικῶς. — Theol., Gisel. aliique *et pede sicco.*

(3) *qui Spiritus olim* etc. Ad Genes. 1, 2 haec verba referuntur, ubi de Spiritu Sancto, qui super aquas ferebatur; sed intelligi etiam possunt de Filio Dei, *per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil.*

(4) *Inlevit caecos* etc. V. Ioann. IX, 29.

(5) *humectam.* Lucretianum est, ab humecto, as; pro humefactam.

(6) *variis Siloa refundit Momentis latices.* Non enim Siloa iugibus aquis, sed diebus horisque incertis ebullire consueverat, uti narrat S. Hieronym., (in Isai. VIII, 6), atque sub terram elabens piscinam seu natationem efficiebat. Sed hoc loco noster

Sed vice distincta largos lacus accipit haustus.
Agmina languentum sitiunt spem fontis avari,
Membrorum maculas puro ablutura natatu.
Certatim interea roranti pumice raucas
Exspectant scatebras, et sicco margine pendent.
Hoc limum iubet impositum de fonte lavari
Christus, et infusa vultum splendescere luce.
Nôrat enim limo sese informasse figuram
Ante tenebrosam, proprii medicamen et oris
Adiecisse novo, quem primum finxerat, Adae.
Nam sine divino Domini perflamine summi
Arida terra fuit. Nulli prius apta medelae:
Sed postquam liquidus caelesti Spiritus ore
Virgineam respersit humum, medicabilis illa est.
Inde trahit succum, lentoque humore salutem
Inlinit, infunditque diem baptismate lota (1).
Caecus adest, oculis iam Christi ex ore retectis,
Seque luto et nitidis lucem sumsisse fluentis
Clamat, et auctorem (2) stupefacta per oppida mon-[strat:
Auctorem lucis, largitoremque dierum,
Non dedignatum medicae purgamen aquäi (3)

piscinam eam confundere videtur, quae *probatica* dicebatur, cum Natatoria; quamquam nonnulla est opinio ambas piscinas aquam e fonte Siloe originem derivare. Duas nempe piscinas, *Natatoriam* (Ioann. IX) noster cum *probatica* (Ioan. V) facile permiscuit. De hac mira piscina Cfr. Didoni opus, supra memoratum, quod italice redditum est cum hoc titulo: *Vita di Gesù*. V. *Appendice* E.

(1) *Infunditque diem baptismate lota.* Diem, scil. lumen. Etenim penes vetustiores Ecclesiae Patres *Baptismus* Sacramentum appellabatur *illuminationis*, et proinde *baptisteria* φωτιστήρια; atque salutaribus aquis rite abluti *illuminati*. V. S. Pavl. ad Hebr. VI, 4, 10, 32.

(2) *auctorem* « Christum » Vet. Glossa.

3) *purgamen aquäi.* Genitivus et dativus *aquäi* sunt archaismi, quos Lvcretivs Carvs Virgilivsque praesertim

Corpore sub proprio monstrare errantibus aegris.
Millibus ex multis paucissima quaeque retexam,
Paullatim relegens, totus quae non capit orbis.
Quinque in deserto panes iubet, et duo pisces (1)
Adponi in pastum populis, qui forte magistrum
Non revocante fame, stipabant undique saeptum,
Immemoresque cibi, vicos, castella, macellum,
Oppida, mercatus, et conciliabula, et urbes
Respuerant, largo contenti dogmate vesci.
Multa virûm (2) strato fervent convivia feno,
Centenos simul accubitus iniere sodales;
Seque per innumeras infundunt agmina mensas,
Pisciculis (iam crede Deum) saturanda duobus,
Et paucis, crescente cibo, per fragmina crustis.
Ambesis dapibus cumulatim adgesta redundant
Fercula, bissenos micarum molibus implent
Post coenam cophinos: crudus conviva resudat
Congeriem ventris, gemit et sub fasce minister.
Quis cumulare potest epulas in grandia parvas?
Quis, nisi qui corpus, pastum quoque corporis omnem
Condens ex nihilo, nulla existente creavit
Mundum materia? non sicut sculptor ab aeris
Rudere decoctam consuescit vivere massam (3).
Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.
Nil erat omne quod est: nil id, procedere et esse,
Atque novum fieri, mox et grandescere, iussum est.

usurparunt. Aquam vero pro eo quod est *Baptismus* saepe videbis.

(1) *duo pisces* idem est ac *duos pisces*. — *Adponi in pastum* — *Adponi ad pastum*. » Vet. Glossa.

(2) *virûm*, sync. pro *virorum*.

(3) *ab aeris Rudere* etc. Rudus, id est raudus vocabatur aes infectum et impolitum, unde aes rude. V. nostrum Περὶ Στεφ. hymn. II, v. 190. — *consuescit vivere massam;* nempe moris habet ut ex massa informi agrestique ad vivum aliquid ducat. Dictio

Parvum de nihilo primum fuit: addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis.
Ergo ego quum videam manibus sic crescere Christi
Parva alimenta hominum, possum dubitare per ipsum
Exiguas rerum species, elementaque mundi
Ex nihilo primum modica, et mox grandia sensim
Crevisse, ex modicis quae consumata videmus?
Ac ne post hominum pastus calcata perirent,
Neve relicta lupis, aut vulpibus, exiguisve
Muribus in praedam nullo custode iacerent:
Bis sex adpositi, cumulatim qui bona Christi
Servarent gravidis procul ostentata canistris.
Sed quid ego haec autem titubanti voce retexo,
Indignus qui sancta canam? Procede sepulcro,
Lazare, dic, cuius vocem tellure sub ima
Audieris: quae vis penetraverit abdita leti,
Quod, quum te Christus penitus nigrante profundo
Immersum vocat, ut redeas; ceu proximus, audis.
Nec remoratus ades? Quae tam vicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui distantia fine
Coniungit superis? ubi Taenara tristia (1) vasto
In praeceps deiecta chao, latebrosus et ille
Amnis inexpletis volvens incendia ripis?
Ante fores tumuli, quas saxa immania duro
Obiice damnârant, scopulis substructa cavatis,
Stat Dominus, nomenque ciet frigentis amici.
Nec mora: funereus revolutis rupibus horror
Evomit exsequias gradiente cadavere vivas.

consuescit vivere massam, elegantior castiorque, ex membranarum fide. Ante Heinsivm lectio obtinuit: *consuescit fingere massam*.

(1) *ubi Tænara tristia*. Taenarus, aut Taenaros, i, m. et Taenarum, i, n. mons et promontorium Peloponnesium in Laconia. Ibi Neptuni templum et specus, quo poëtae fabulantur descensum patere ad inferos. — *amnis,* Cocytus, inferorum fluvius, e Stygia palude exoriens.

Solvite iam laetae redolentia vincla (1) sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert, oculos sanie stillante solutos
Pristinus in speculum decor excitat, et putrefactas
Tincta rubore genas paullatim purpura vestit.
Quis potuit fluidis animam suffundere membris?
Nimirum qui membra dedit; qui fictilis ulvae (2)
Perflavit venam madidam; cui tabida gleba
Traxit sanguineos infecto humore colores.
O mors, auritis iam mitis legibus? (3) o mors
Surda prius, iam docta sequi quocumque iubetur,
Cui tantum de te licuit? convicta fatere
Esse Deum, solus qui me tibi praeripit, Iesum.
Abde negatores Christi: nemo invidet, abde:
Utere sorte tua. Blasphemis nocte tenendis
Perpetua, plebem iustorum capta (4) resolve:
Qui nôrunt hominem, atque Deum sic dicere Christum,
Ut verus, summusque Deus mortalia gestet.
Ipse gerit, quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor, quod peperit: corpus loquor, atque animae vim.
Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore.
Totum hominem Deus adsumit, quia totus ab ipso est,

(1) *redolentia vincla*. V. Καθημ. V, 50; et AVGVST.; item CALMET. *Dissert. De Funerib. Hebraeor.*

(2) *fictilis ulvae*. Ulva herba palustris. Hic pro limo qui palustri herbae adiacet; quo ex limo homo est factus.

(3) *auritis iam mitis legibus*. GISELIN. aliique *auditis*. Sed HEINSIVS *auritis* retinuit, Vaticanis omnibus adstipulatus, inter quos duo lectionem in hunc modum interpretantur: « Nemo ante Christum eius vocem exaudiebat; post eius adventum omnes illi dicto audientes fuerunt. » Re enim vera *auriti* sunt qui patulas aures, audiendique ampliorem sensum retinent. Hinc auriti *lepores* apud Virgil. (Georg. 1, 308); *auritas* quercus Horatius ait fuisse, quae Orphei cantu moverentur. (Lyric. 1, 12).

(4) *capta*. A Christo devicta, delenita.

Et totum redimit, quem sumserat; omne reducens,
Quidquid homo est: istud tumulis, ast illud abysso (1).

V

DE NATVRA ANIMAE

Versus, qui sequuntur, eos respiciunt, qui Manichaeorum doctrinis addicti, tradunt animam humanam particulam esse substantiae Dei; obque hanc causam nulli poenae obnoxiam. Poëta ostendit animam neque Deum esse, neque Dei partem ullam, quia creata est, non genitam, ideoque nullam naturae comunicationem in sese habere. Praeterea quae Deo proprie tribuuntur nullomodo animae nostrae convenire posse. Adde quod, quum anima nostra sit peccato obnoxia, deceat plane nos poenas admissorum pendere congruam. At tamen non ita innocens animae conditio fuit olim; et propter labem originalem, e gradu primae innocentiae deiecta, ad primaevam dignitatem adsurgere anima humana nequivisset ex sese, nisi auxilium accessisset divinum Salvatoris, qui genus mortalium in melius reparavit.

Occurrit dubitans hic dissertator, et illud
Obiicit: anne fides, capit, ut substantia flante
Inspirata Deo cruciatum sentiat, utque
Inferni petat ima poli, barathroque (2) coquatur?
Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Maiorem cunctis (3): ipsam quoque crede creatam.

(1) *istud tumulis.* Corpus tumulis, seu terrae, sepulcro. — *illud*, animam caelo. Etenim abyssus ab altitudine et profunditate coelum appellatur.

(2) *barathroque.* De voce Βάραθρον. Vide Καθημ. hymn. XI, v. 40.

(3) *crede creatis Maiorem cunctis*, si tamen angelos excipias.

Formata est namque ore Dei, quae non erat ante:
Sed formata habitu pulcherrima, pictaque rebus
Divinis, et plena Deo, similisque creanti:
Non tamen ipsa Deus, quoniam generatio non est,
Sed factura Dei est: solus de corde Parentis
Filius emicuit: verus, verus Deus ille (1).
Conlatum est animae, subito ut, quae non erat, esset.
Ille coaeternus Patris est, et semper in ipso,
Nec factus, sed natus habet quodcumque paternum est,
Haec similis, velut umbra, Dei est. Sic ipse locutus
Factor, utroque hominem meditans de figmine iunctim
Aedificare sui similem; sed non habet umbra
Quod corpus solidum, cuius imitatio in umbra est:
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, saeclis quod non consumitur ullis:
Quod sapiens, iustique capax, reginaque rerum
Imperat; ante videt, perpendit, praecavet, infit,
Verborum, morumque opifex, instructaque mille
Artibus, et caelum sensu percurrere docta.
His animam similem sibi Conditor effigiavit (2),
Cetera dissimilem: quippe hanc comprêndere promtum est,
Quam modus et species determinat: at Deus ingens
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat, sensuve teneri.
Incomprênsa manet virtus, cui linea defit
Ultima, quam spatium non mensurabile (3) tendit.
Ego animam factam, magno et factore minorem,

(1) *verus, verus Deus ille.* Heins. ex cod. Puteano. E contrario Weitzius ita excripsit: « *verus Deus ille; sed istud Conlatum est animae* etc.

(2) *effigiavit.* V. Καθημ. hymn. X, 4.

(3) *spatium non mensurabile.* Non mensurabile est quod nequimus metiri, et mensuram omnem refugit. Appositum habes Prudentianum.

Maioremque aliis, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concipit (1), ac membris tabentibus interfusam
Participat de faece sua: fit mixta deinde
Peccandi natura luto (2), cum simplice flatu;
Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore,
Compositam, factamque neges, velut ipsa Dei pars,
(Quod dictu scelus est) taetras trahat oblita culpas,
Et pessum damnata ruens chaos intret opertum.
Sit res illa Dei; non abnuo: pars tamen illa
Haudquaquam dicenda Dei est, quae tempore coe-
(pit.
Nec prior, aut senior, quam primum plasma (3), pu-
[tanda est.
Tunc etenim factam video, quum cordis amici
Intravit germana domum, limique recentis
Hospita, et ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus Domini est: sed spiritus et vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth (4):
Sed speculum deitatis homo est. In corpore discas
Rem non corpoream sollers, interprete Christo,
Qui Patrem proprium mortali in corpore monstrat.

(1) *Concipit*. V. infra 915. Versus est spondaic. — *participat de faece sua*. Si namque aquam e. gr. in vitiato vase infundas, aqua corrumpitur. « Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit. » Hor. Ep. I, II, 4 ad Lollium. Vide sis S. Avgvst. libro V contra Iulian. c. III.

(2) *peccandi natura luto*, Praetulerim *peccantis natura luti*, Henisio non exprobrante.

(3) *primum plasma*. scil. « Adam » Vet. Glossa.

(4) *Est impossibile*. τὸ ἀδύνατον. Impossibilis, e vox adiectiva est, quam Qvintilian. (Instit. V. 10); deinde Apvl.; et seriores latinitatis scriptores usurparunt. — *Sabaoth*. Vide Καθημ. hymn. IV, 7.

Perspice quam varios fundamus ab ore vapores,
Spiramus quoties animae sufflabilis auras.
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat.
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans:
Quum libet (1), in gelidum flabrali frigore ventum
Spiritus existit tenuis, et sibilat aër.
Adde et distinctum, quem musica tibia flatum
Concipit; aut ille est presso modulamine parcus,
Aut tumidum largo sublimat flamine bombum (2),
Aut raucos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.
Haec quum te videas mortali in corpore posse,
Cur non Aeternum potuisse infundere credas,
Qualem animam voluit? praescriptis quam quia condens
Efflavit, fuditque modis, sit facta necesse est.
Denique multa sapit, sed non sapit omnia, nostrae
Vis animae, certum sapere ac praenoscere iussa.
Iam, cui certus inest modus, et cui nosse negatum [est
Omnia, factura est (3): nam condita et aucta probatur.
Collige de simili, sitne haec factura. Creavit
Nempe manus Domini corpus mortale lutumque
Composuit digitis, numquid manus articulatim
Est digesta Dei? numquid vola? numquid et ungues
Claudere flexibiles? patulam seu tendere (4) palmam?

(1) *Quum libet, in gelidum* etc. quae verba intellectum hunc habent: quoties volumus, ex ore flatus emittitur, qui frigefiat; plane ut cibus calidus efflando tepidior sit.

(2) *bombum.* Graece βόμβος, est vox e sono ficta, ut Italis *bombo*, *rimbombo*, *bombire* etc. Vetus Glossa hic habet: « Sonitum cornu vel tibiae; et Eninus sonitum pedum appellat bombum. »

(3) *factura est.* scil.: « Dei » Vet. Glossa.

(4) *Claudere... tendere.* Infinitiva historica, quae diceremus, pro « *claudabat... tendebat.* » Vet. Glossa.

Ista figura manus nostrae est, quam non habet in se
Incircumscriptus Dominus: sed tradita forma est,
Humanis quae nota animis daret intellectum (1).
Ut per corpoream speciem plasmasse feratur
Corporis effigiem: sic est plasmata vicissim
Flatu incorporeo res flabilis, oris et esse
Fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit
Forma animae, atque rudi factam se munere sensit.
Si non est factura manus caro nostra; nec oris
Est factura anima, flatu et spiramine coepta;
Inque locum deducta aliquem: namque omne quod hora
Natalis profert, locus accipit: et locus ullus
Quod cohibere potest, modicum est, nec in omnia fusum.
Et quod tam modicum est, ut certa sede locetur,
Iam titubare potest, et quod titubaverit, intra
Naturam vitii est: vitiosum denique tristem
Recidit in poenam: Deus hoc mihi credite, non est.
Aut, si maiestas animae est, ostendite quid sit.
Quod lapsam, Christique inopem nova gratia inundat,
Spiritus et Sanctus baptismate iustificatam
Nobilitat, famulaeque decus, quod defuit, addit.
Quod quia praestatur meritis, meritisque negatur,
Absurde fertur Deus, aut pars esse Dei, quae
Divinum, summumque bonum de fonte perenni (2)
Nunc bibit obsequio, nunc culpa, aut crimine perdit;
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.
Miraris (3) peccare animam, quae carne coactam
Sortita est habitare domum, quum peccet et ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabifluae (4)? Peccat, quia factus et ipse est,

(1) vers. spondaic.
(2) *de fonte perenni.* « Christi ». Vet. Glossa.
(3) *miraris* « o Homuncionita ». Vet. Glossa.
(4) *qui nescit adire caducum Cratis tabifluae.* Angeli a Deo

Non genitus: quocumque modo sit factus (1), id unus
Scit factor Dominus: factum mihi credere sat sit.
Solus labe caret peccati Conditor orbis,
Ingenitus, genitusque Deus, Pater, et Patre natus,
Solus et, exceptus tormentum admittere triste,
Inviolatus agit, nec quidquam sentit acerbi.
Exsortem dic esse animam crucis atque doloris,
Si culpae immunem, vacuamque a crimine nosti
Quae peccare valet, valet et succumbere poenae.
Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,
Quae conlata rudem fecit viviscere limum:
Utpote de liquido naturae semine primos
Accipiens habitus, superoque expressa sereno.
Sed mox, ut gravido iussa est innectier arvo,
Suavibus illecebris nimium blandita refrixit,
Deque volutabris pretiosum polluit ignem,
Dum transgressa Dei positum fas improba calcat.
Haec prima est natura animae: sic condita simplex
Decidit in vitium per sordida foedera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adae,
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde:
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons (2).

creati sunt; eorum corpus, ut humanum, compactum non est veluti crates. V. Καθημ. hymn. VIII, 59. — peccat autem Angelus, quod ipse factus, non genitus est. Quare S. Avgvstin. De Civit. Dei XII, c. 6. « Hoc scio naturam Dei numquam, nusquam nulla ex parte posse deficere, et ea posse deficere quae ex nihilo facta sunt.»

(1) *quocumque modo sit factus.* Prudentii aetate et insequentibus temporibus de Angelorum natura sacrae Theologiae prudentes in varias abibant sententias; atque in tempus praesertim inquirebant, quo ex nihilo facti Angeli sint. Cfr. S. Avgvst. *Enchir.* C. LIX. Vide sis et. S. Bernard. *Considerat. ad Pap. Eugen.* C. IV, et Serm. V *in Cant.*

(2) *nec quisquam nascitur insons.* V. quae habet in Sacris Litteris S. Iobvs XIV, 4. — *vitandus tamen error.* De animae

Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in subolem (1) credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non animas animae pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quod (2) parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis,
Quae quamvis infusa novum penetret nova semper
Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum
Ducitur, inloto quoniam concreta veterno est.
Inde secunda redit generatio (3), et inde lavatur
Naturae inluvies, iterumque renascimur intus
Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.
Quae quia materiam peccati ex fomite carnis
Consociata trahit, nec non simul ipsa sodali
Est incentivum peccaminis, implicat ambas
Vindex poena reas, peccantes mente sub una,
Peccandique cremat socias cruciatibus aequis.
His crucibus Christus nos liberat, incorruptae
Matris, et innocui gestator corporis. Unus
Naturam poenae expositam, sed non vitiorum
Naturam expositam contactibus (4) induit Iesus.
Atque ideo poenae nîl debuit: intemeratus,

humanae origine mirum quam recte senserit poëta, qua videlicet aetate hac de re magni equidem viri, coniectura ducti, aberraverint. Vide sis Cardin. HENRICI NORISII Vicentini doctissimas *Vindicias Augustinianas,* § III.

(1) *subolem.* GISEL. *sobolem.* De scriptione. V. CELLARIVM Orthogr. Lat.

(2) *quod parvula anhelent Vascula.* HEINS., cui unum et viginti codd. m.ss. Vaticc. consentiunt. E contrario WEITZIVS, et editt. nonnullae *quo parvula anhelent.*

(3) *inde secunda redit generatio.* « de Baptismate » Vet. Glossa.

(4) *non vitiorum Naturam expositam contactibus.* « Christus venit in similitudinem carnis peccati; sed non venit carnis peccati caro. » S. PAVL. ad Rom, VIII, 3. Vide S. AVGVST. Serm. CXXXIV.

Fraude carens, omni culparum adspergine liber.
(Quid peccatorum prosapia corpore in illo!) (1)
Quid Christi in membris peccati saeva satelles
Poena ageret? quid mors hominis sine crimine pos-
[set?
Nimirum cassis conatibus, et sine nervis
Concideret sterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpa (2): culpam qui non habet, ipso
Pastus defectu mortem consumit inanem.
Sic mors in Domini consumta est corpore Christi:
Sic periit, solitum dum non habet arida pastum.
Suspice quapropter solum inculpabile Numen (3),
Virtutem Patris et Christi; et iam desine nostrae
Invidiam conflare animae, quod sit Deus, aut quod
Portio parva Dei, quum Christo abscidere quid-
[quam (4),
Et resecare Deo partem, vel carpere tantum
Numen non liceat, plenum sibi semper, et in se.

(1) *Quid peccatorum* etc. Istiusmodi versum uncis inclusimus, quum in bene multis codd. manu exaratis absit. GISELINVS equidem in parisina Marnefi edit., quam prae oculis saepicule habemus, recepit; sed addita hac adnotatione: « Aldus hunc versum omittit, iteratione, ut opinor, offensus. »

(2) *Mors alitur culpa.* Quippe mors, quae culpam antecedentem praesignat, omnes corripuit mortales, vel infantulos nullius peccati adfines. Cfr. S. PAVL. ad Rom. V, 14.

(3) *solum inculpabile Numen.* Inculpabilis est qui nulla ratione culpari potest. Occurrit haec vox adiectiva apud AVIENVM (V. LANPHRANCHII *Lexic. Poëtic. Totius Ling. Lat.*). Sed in italicam linguam facile pervasit. Quare A. MANZONIVS in hymno sacro = *La Passione* = de Redemptore cecinit: *Ei che mai non conobbe il fallir.* Eodem in carmine. Mediolanensis item poëta Angelos vocavit: = *Gli incolpabili figli del Ciel.* =

(4) *Quum Christo abscidere quidquam... tantum.* Ad hoc Prudentii *tantum* lectores iubebo animum advertere; non enim licet cuiquam Iesu Christi corpus, eius videcet carnem secernere, atque veluti in frusta secando oculis adorandam proponere. Quocirca nos, qui in Cor Iesu ignito amore medullitus flagramus, totum

VI

ADVERSVS PHANTASMATICOS

QVI CHRISTVM NEGANT VERVM CORPVS HABVISSE (*)

Vel a primis Christiani nominis incunabulis Iesum Christum hominis verum Corpus induisse negari coeptum est, uti aperte ex Ioan. 1, 4 colligitur. Perversae talis opinionis de Redemptore nostro auctorem S. Avgvstinvs facit illum Simonem Magum, quem postea imitati sunt Saturninus, Marcion et Manes (V. Libr. De Haeres.) In eundem errorem lapsi sunt Priscillianistae, uti narrat S. Leo. Ep. XV, N. 4, et Manichaei (Vide S. August. Confess. L. V. 9). In hac postrema Apotheoseos parte Prudentius Phantasmaticos omnes maximo in errore versari ostendit; atque absurdum esse demonstrat Christum, qui veritas ipsa est et bonitas, mendacii et perfidiae insimulare, illumque non verum corpus, sed ementitum, sed τὸ φάντασμα germanum tantum fuisse. Stemmatis deinde ex Math. I, et Luca III depromptis, ostendit, aut omnes maiorum series, quorum ex styrpe est natus Iesus Christus, corpora aëria atque umbratilia reapse fuisse; quod perridiculum id est credere, aut credendum tunc demum Christum ipsum aeque, ac genus et proavos suos corpus revera habuisse. Si quis autem obiecerit carnem Deo indignam, responsio in promptu est poëtae, non prorsus Deum dedecere corpus, quod ipsemet suis manibus perfecerit. Tandem si Christus a corpore abhorruit, ergo nec tum denique mortem obiit, atque e mortuis resurrexit: ideoque vanum fore nos spem bonam fovere de corporum nostrorum a morte resurrectione; quam adeo versibus egregie factis describit noster.

Christi corpus pariter veneramur, etsi in Cordis sede libentius conquiescimus, in quo, tanquam in receptu suo, ardentissimum divini Redemptoris affectum erga genus humanum inhabitare putamus. Vide sis de hac re: « *Religiose feste al divino Cuore di Gesù.* » *Lettera Pastorale del* Cardinale Gaetano Alimonda *Arciv. di Torino al Clero e al Popolo* etc. *Torino Tip. Salesiana* — 1889. — pag. 19.

(*) In edit. Giseliniana: « *Qui Christum negant verum hominis corpus habuisse.* »

Est operae pretium nebulosi dogmatis (1) umbram
Prodere, quam tenues atomi compage minuta
Instituunt: sed cassa cadit, ventoque liquescit
Adsimilis, fluxu nec se sustentat inani.
Aërium, Manichaeus ait, sine corpore vero
Pervolitasse Deum mendax phantasma, cavamque
Corporis effigiem; nîl contrectabile habentem.
Ac primum specta, an deceat quidquam simulatum
Adsignare Deo, cuius mera gloria falsi
Nîl recipit. Membris hic se fallacibus aptans
Fingeret esse hominem ventosa subdolus arte?
Mentitus toties, quum diceret: Inveteratis
Do veniam morbis, simul et peccata remitto.
Filius est hominis, pestem qui pellere carnis,
Et scelerum nexus laxare, ac solvere possit.
Surge valens, surge innocuus, iam tolle grabatum:
Filius hoc hominis iubeo, dignusne videtur
Qui testis sibi sit, seque ac sua carnea nôrit?
Quid? quum discipulos, hominis quod filius esset
Passurus, fido iam praescius ore monebat?
Nonne fatebatur, se cum virtute paterna
Esse hominem verum? quod si non credo, fefellit.
Si natura Dei quae sit, Manichaee, requiris,
Omne quod est,verum est. Nam si mendosus agit quid,
Nec Deus est: mendum divinus non capit usus.
Obiicis aeterno Domino, quod lubricus (2) ad nos
Venerit, adsimulans aliud, quam verus habebat.
Obmutesce, furor: linguam canis improbe, morde
Ipse tuam, lacero consumens verba palato.

(1) *Nebulosi dogmatis umbram.* Tangit Manichaeorum errorem de Christi Carne. V. S. Avgvst. Confess. Lib. V. 3.

(2) *lubricus.* Graece 'ολισθηρός; et est appositum perpetuum animalium reptantium, ab eorum incedendi ratione. Hic idem valet *lubricus*, ac bestia ipsa quae serpit. — Hinc « serpens. » Vetus Glossa.

Latranti obsistit Matthaeus (1), rabiemque refellit:
Qui notat omne genus carnalis stirpis, adusque
Corporeum Christum, per sex septena virorum
Nomina descendens, et venam sanguinis alti
Ex atavis longo texens per stemmata filo.
Septimus hebdomadi venit superaddere sextae
Hunc numerum Christus, placidum qui conficit annum (2)
Cuncta remittentem contractibus illaqueata
Multimodis, hominemque hominis de morte (3) levantem.
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc:
Vir solus perfectus adest atque integer Iesus,
Cui nihil ex septem septenis defuit (4), ex quo
Perficeret mortale genus virtute perenni.
Hic ille est, nobis qui septima sabbata complet,
Ut caro nostra Deo tandem sociata quiescat,
Quam bis terna malis vexabant sabbata (5) noxis.
Curramus notis gradibus, regumque sequamur
Progeniem: Christum invenies de carne parentum
Effluxisse hominum, qui sit de semine David,
Stirpe recensita numerandus sanguinis heres.
Quid, quum sanctiloquus revoluto germine Lucas
Sursum versus agit seriem, scandente nepotis

(1) *Matthaeus* hic est vox bissyll.

(2) *placidum qui conficit annum.* In glossa unius Vaticani: « Iubilaeum, in quo per Christum omnia peccata dimittuntur. »

(3) *hominis de morte.* Scil. de morte, quae per hominem Adamum advenit homimum generi.

(4) *Cui nihil ex septem septenis defuit.* Hic de numero septenario, de cuius perfectione multa disseruit Macrobivs in Somn. Scip. 1.

(5) *bis terna... sabbata.* Quemadmodum supra vidimus *septima die*, vel *hebdomada* usurpatum fuisse ad requiem denotandam, et a labore cessationem, ita *per sex dies* vel *per sex hebdomadas* labor significatur.

Corpore, perque atavos cursum relegente vetustos,
Septenos decies conscendit Christus in ortus
Et duo: nam totidem doctores misit in orbem:
Descensos nascendo gradus, redeundo retexit
Actus ad usque apicem terreni corporis Adam.
Inde parens Deitas recipit sua, nostraque mixtim,
Fitque Dei summi per Christum filius Adam.
Restat, ut aëriam fingas ab origine gentem,
Aërios proceres, Levin, Iudam, Simeonem;
Aërium David, magnorum corpora regum (1)
Aëria, atque ipsam fecundae Virginis alvum
Aëre fallaci nebulisque, et nube tumentem.
Vanescat sanguis perflabilis, ossa liquescant
Mollia, nervorum pereat textura volantum.
Omne quod est gestum, Notus auferat inritus, aurae
Dispergant tenues: sit fabula, quod sumus omnes.
Et quid agit Christus, si me non suscipit? aut (quem
Liberat infirmum, si dedignatur adire
Carnis onus, manuumque horret monumenta suarum?
Indignumne putat luteum consciscere corpus?
Qui non indignum quodnam sibi credidit ipsum
Pertractare lutum, quum vas componeret arvo
Nondum viscereo; sed inertis glutine limi,
Impressoque putres sub pollice duceret artus?
Tantus amor terrae, tanta est dilectio nostri!
Dignatur praepinguis humi comprêndere mollem
Divinis glebam digitis, nec sordida censet
Haerentis massae contagia. Iusserat, ut lux
Confieret: facta est ut iusserat. Omnia iussu
Imperitante novas traxerunt edita formas.

(1) *magnorum corpora regum.* Significans omnino est dictio, quae apud Virg. occurrit Georg. III, 369, et Aeneid. II, 18, etc. ubi Mantuanus poëta, animalia ipsa magni corporis, virosque egregios conspiciendos nobis offert.

Solus homo (1) emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et fabro deitatis figmine (2) nasci.
Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit, ut Domini manibus tractatus, honora (3)
Arte sacer fieret, tactu iam nobilis ipso?
Decrêrat (4) quoniam Christum Deus incorrupto
Admiscere solo: sanctis quod fingere vellet,
Dignum habuit, digitis; et carum condere pignus.
Destituit natura quidem destructa coactae
Telluris formam, mortique obnoxia cessit;
Sed natura Dei numquam solvenda, caducam
Tellurem nostro vitiatam primitus usu
Esse suam voluit, ne iam vitiabilis esset (5).
Christus nostra caro est: mihi solvitur et mihi surgit;
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.
Quum moritur Christus, quum flebiliter tumulatur,
Me video: e tumulo quum iam remeabilis adstat,
Cerno Deum. Si membrorum phantasma meorum est
Et phantasma Dei est: mendax in utroque necesse est,
Sit Christus specie, si Christus fallere novit:
Si non verus homo est, quem mors hominem probat ipsa,
Nec verus Deus est (6), operis quem gloria prodit
Esse Deum; vel crede mori, vel adesse refelle,

(1) *Solus homo.* En hominis praestantiam prae ceteris rebus creatis.

(2) *fabro figmine.* Quidam legunt *flabro;* sed HEINSIVS adiect. vocem *fabro* usurpat, cum qua lectione fere omnes Vaticc. Codd. concordant.

(3) *honora*, honorifica, honore digna. A. MANZONIVS in hymno: *Il Natale*, canit: « A tanto onor sortilla ».

(4) *decrêrat,* sync. decreverat. — Vers. spondaicus.

(5) *ne iam vitiabilis esset.* V. S. PAVL. ad Corinth. XV, 53.

(6) *Nec Deus verus est.* Ita THEOL. Sed GISEL., quem metri causa adprobo: *Nec verus Deus est.*

Et gemina verum Christum ratione negato.
Nam quid magnificum, si non est mortuus Iesus,
Et redit? Illa Dei virtus memorabilis est, ut
Occisus redeat superis, surgatque sepultus.
Quisque Deum Christum vult dicere, dicat eumdem
Esse hominem, ne maiestas sua fortia perdat.
Nosco meum in Christo corpus consurgere (1). Quid me
Desperare iubes? veniam, quibus ille revenit
Calcata de morte viis, quod credimus, hoc est:
Et totus veniam. Nec enim (2) minor, aut alius quam
Nunc sum, restituar. Vultus, vigor, et color idem,
Qui modo vivit, erit (3): nec me vel dente vel ungue
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.
Qui iubet ut redeam, non reddet debile quidquam;
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit (4),
Quod truncavit edax senium, populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri
Reddat curtum aliquid; quamvis iam curta vorârit
Corpora: debilitas tamen et violentia morbi
Virtus mortis erat. Reddet quod particulatim
Sorbuerat, quocumque modo; ne mortuus omnis

(1) *Nosco meum in Christo corpus*, etc. Tres et viginti versus, qui Apotheosin Prudentianam ad umbilicum adducunt GISELINVS, aliique recentiores lemmate inscribunt: « *De resurrectione carnis humanae* ». Sed praeter quam quod praestantiores codd. nihil tale habent, nos commode versus hosce ad Phantasmaticos referre possumus.

(2) *Nec enim minor, aut alius, quam Nunc sum*. Quod verae resurrectionis est indicium; erratque toto coelo Io. CLERICVS in adnotat. ad § X, Libr. II: *De vera Christi Religione* HVGONIS GROTII, ubi videlicet totam corporis reparationem refutare conatur. Vide AESTIVM II ad Corinth. IV.

(3) *Qui modo vivit, erit*. V. IOBVM, XIX.

(4) *Quod casus rapuit*, etc. V. Καθημερ. X, 140 et seqq.

Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo. Nam vos gerit ille,
Et secum revocat. Morbos ridete minaces :
Inflictos casus contemnite, et atra sepulcra
Despuite : exurgens quo Christus provocat, ite.

FINIS APOTHEOSEOS

II

HAMARTIGENIA

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS
IN HAMARTIGENIAM*)

PRAEFATIO

Fratres ephebi, fossor et pastor, duo (1),
Quos feminarum prima primos procreat,
Sistunt ad aram de laborum fructibus
Deo sacranda munerum primordia:
Hic terrulentis (2), ille vivis fungitur.
Certante voto, discrepantes immolant;
Fetum bidentis alter, ast alter scrobis (3).
Deus minoris comprobavit hostiam,
Reiecit illam, quam paravit grandior.
Vox ecce summo missa persultat throno:
Cain, quiesce (4); namque si recte offeras,

* In Parisina Victoris Giselini editione legitur: « Aurelii Prudentii Clementis V. C. Ἁμαρτιγένεια, id est de Origine peccatorum ». Quum autem nonnulli existimarent priorem libri, De peccatorum origine, partem eandem ipsam esse, quae inscribitur *Apotheosis*, iis duabus quasi eiusdem operis partibus unam eandemque praefationem praetulerunt, quam nos huic tantum libro praeposuimus.

(1) *Fratres ephebi... duo.* Cainus et Abel.

(2) *Hic terrulentis:* e terra natis, terrenis. In Περὶ Στεφ. X, 378 vidimus adverbium terrulente, vel terrulenter.

(3) *scrobis.* Scrobs, aut scrobis, bis m. et f. Cavum est in terra factum, fovea, fossa, sulcus.

(4) *quiesce.* Septuaginta INTERPRETES in Genes. IV, 7 τὸ *quiesce* verterunt ἡσύχασον. V. S. AVGVST. *De Civ. Dei* XV, 7.

Oblata nec tu lege recta dividas,
Perversa nigram vota culpam traxerint.
Armat deinde parricidalem (1) manum
Frater, probatae sanctitatis aemulus:
Germana curvo colla frangit sarculo (2).
Mundum recentem caede tingit impia,
Sero expiandum, iam senescentem, sacro
Cruore Christi (3), quo peremptor concidit.
Mors prima coepit innocentis vulnere;
Cessit deinde vulnerato innoxio (4).
Per crimen orta, dissoluta est crimine,
Abel quod ante perculit, Christum dehinc:
Finita et ipsa est, finis exsortem petens.
Ergo ex futuris prisca coepit fabula (5),
Factoque primo res notata est ultima.
Ut ille mortis inchoator rusticus
Insulsa terrae deferens libamina,
Deumque rerum mortuarum deputans,
Rastris redacta digna sacris crederet
Viventis atrox aemulator hostiae.
Agnosco nempe, quem figura haec denotet,
Quis fratricida, quis peremptor invidus

(1) *parricidalem*, et *parricidialem*, ad parricidium pertinentem.

(2) *curva collo frangit sarculo.* Sarculone fratris collum fregerit Cainus, an lapidem in eius frontem iecerit, disputant enarratores. De lapide loquitur GENES. III, 12; IVVENCVS tamen, aliique poëtae Abelem, faucibus obstrictis, vita privatum contendunt.

(3) *cruore Christi.* Christus in Abele praemonstratur; Cainus diabolum designat.

(4) *Cessit deinde vulnerato innoxio*, scil. Christo. Vide S. LEONIS Serm. XII.

(5) *fabula* a fando; et dicitur de iis proprie, quae in omnium ore et sermone sunt. Fabulae res veras idcirco et falsas respiciunt (V. PHAEDR. Lib. I prolog.; et L. 11, V, 6.). Nos fabulam vulgo dicimus *un discorso.* In hoc loco de vera narratione.

Prave sacrorum disciplinam dividat.
Mactare dum se vota censet rectius.
Marcion (1), arvi forma corruptissimi,
Docet Duitas (2) discrepare a spiritu,
Contaminatae dona carnis offerens,
Et segregatim Numen aeternum colens:
Qui si quiescat, nec monentem negligat,
Pacem quieta diligat germanitas,
Unum atque vivum fassa vivorum Deum.
Hic se caduco (3) dedicans mysterio,
Summam profanus dividit substantiam,
Malum bonumque ceu duorum separans
Regnum Deorum, sceptra committit duo,
Deum esse credens, quem fatetur pessimum.
Cain cruentus (4), unitatis invidus,
Mundi colonus, immolator squalidus:
Cuius litamen sordet et terram sapit,
Terram caduci corporis, venam putrem,
Humore denso conglobatam et pulvere:
Natura cuius fraude floret fertili,
Fecunda fundens noxiorum crimina,

(1) *Marcion*. Hic a patre, qui fuit episcopus, ob pessimos mores e Christianorum albo erasus, ut crimen a se averteret impietatis, docuit posse mortales Deum pura mente venerari, licet corpus suum voluptatum caeno inquinent.

(2) *Duitas*, *atis* f. sing.; et *duitae*, *arum* m. pl. non sunt voces, uti affirmat I. THEOLIVS, fictae a Prudentio, sed ex ANTISTIO LABEONE derivatae (V. *Digest*. L, 16, 242); iisque usi sunt Marcionitae, uti duos Deos demonstrarent esse, bonorum auctorem alterum, alterum vero malorum. Hac de causa ipsi Marcionitae dicti sunt *Duitae*.

(3) *Hic se caduco* etc. Post hunc XLIII in GISELINI parisina editione legimus uncis inclusum huiuscemodi versum (« Hic, qui caduci rem laboris offerens »). Nonnullae editt. eum recipiunt; sed plerique omnes tamquam ex priore male edolatum respuunt. ALDVS missum faciens integram periodum in duas partes secat.

(4) *Cain cruentus*: Marcion.

Animaeque vitam labe carnis enecat.
Caro in sororem tela mentem dirigit,
Mens in cerebro ventilatur ebrio,
Ex quo furores succulentos colligit,
Madens veneno corporis lymphatico.
Deum perennem findit in duos deos,
Audet secare numen insecabile.
Cadit perempta (1) denegans unum Deum:
Cain triumphat, morte fratris oblitus (2).

(1) *Cadit perempta.* Haec ad Marcionis vesanam mentem referuntur. — Giselin.; et in vulgatis editt. *peremptor.* Sed nos cum Heinsio et m.ss. probatioribus *perempta* retinemus.

(2) *morte fratris oblitus.* Giselinvs *morte fratris illitus.* Multi *alitus* ab alendo pro *altus*, id est nutritus. Nos facile oblitus descripsimus.

ADVERSVS MARCIONITAS

QUI DVOS DEOS ESSE ADFIRMANT

Quo te praecipitat rabies tua, perfide Cain,
Divisor blaspheme Dei? tibi conditor unus
Non liquet, et bifidae caligant nubila lucis.
Insincera (1) acies duo per divortia semper
Spargitur, in geminis visum frustrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Dividuum regnare Deum super aethera credas.
Bina boni atque mali glomerat discrimina sordens
Hic mundus: Domino sed caelum obtemperat uni.
Non iccirco (2) duos retinent caelestia reges,
Quod duo sunt opera humanas agitantia curas:
Exterior terrenus homo est, qui talia cernens
Coniicit esse duo variarum numina rerum,
Dum putat esse Deum, qui prava effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat esse deos natura dispare summos.
Quae tandem natura potest consistere duplex,
Aut regnare diu: quam fons divisus ab arce
Separat, alternaque apicum ditione recidit?
Aut unus Deus est (3), rerum cui summa potestas,
Aut quae iam duo sunt, minuuntur dispare summa.
Porro nihil summum, nisi plenis viribus unum;
Distantes quoniam, proprio dum quisque revulso

(1) *insincera*, non sincera, corrupta. VIRG. *Geor.* IV, 184. — AVL. GELL. Noct. Att. V, 3, et PRVD. hac voce tantum usi sunt.

(2) *iccirco.* — GISEL., et vulgo *idcirco*. Graece. διὰ τοῦτο.

(3) *Aut unus Deus est.* Contra Marcionem hoc argumentationis genere utitur TERTVLL. L. I, c. 5. Vide sis et LACT. *De falsa Sapientia*, L. III.: GROT. *De Veritate Religionis*, L. I, § 3.

Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.
Ius varium non est plenum, quia non habet alter
Quidquid dispar habet; cumulum discretio carpit.
Nos plenum sine parte Deum testamur et unum,
In quo Christus inest, idem quoque plenus et unus:
Qui viget ac viguit super omnia, quique vigebit,
Participem nullum conlato foedere passus.
Summa potestatum, simplex dominatio rerum,
Virtutum sublime caput, fons unicus orbis,
Naturalis apex, generisque et originis auctor;
Ex quo cuncta fluunt et lux (1), et tempora, et anni,
Et numerus : qui post aliquid dedit esse secundum :
Unus enim princeps numeri est, nec dinumerari
Tantum unus potis est. Sic , quum Pater ac Deus [alter
Non sit, item Christus non sit genitore secundus,
Anterior numero est, cui Filius unicus uni est (2).
Ille Deus, meritoque Deus, quia primus et unus.
In virtute sua primus; tum primus in illo,
Quem genuit: quid enim differt generatio simplex (3)?
Unum semper erit gignens, atque unus ab uno
Ante chaos genitus (4), numeroque et tempore liber.
Quis dixisse duos rem maiestate sub una

(1) *Ex quo cuncta fluunt et lux* etc. V. IOAN. c. I.

(2) *cui Filius unicus est.* Deum *unum* proprie; Filium *unicum* scribit poëta. Etenim: *Dicimus unicum filium, quia non sunt plures filii in divinis; neque tamen dicimus Deum, quia pluribus divinitas est communis.* S. THOM. I. P. Quaest. xxxI, art. II.

(3) *generatio simplex.* De qua Cfr. S. AVGVST. *De Civit. Dei.* XI, c. 10.

(4) *Ante chaos genitus.* AUSONIUS. aut alius poëta Prudentii aequalis, haec de VERBO cecinit:

« . . . generatus in illo
Tempore, quo tempus nondum fuit; editus ante
Quam iubar, et rutilus coelum illustraret ĕous...»

Regnantem, propriamque sibi, retroque perennem
Ausit, et unius naturae scindere vires?
Numquid adoptivum genitor sibi sumsit (1), ut alter
Externi generis numerum praestare duorum
Debeat, et geminum distans inducere numen?
Forma Patris veri verus stat Filius, ac se
Unum rite probat, dum formam servat eamdem.
Non amor adscitus sociat, nec iungit utrumque
Coniurata fides; pietas sed certa, genusque
Unum, quod Deus est, summam revocatur ad unam.
Haec tibi, Marcion, via displicet: hanc tua damnat
Secta fidem, dominis caelum partita duobus.
Quae te confundunt nebulae? quis somnus inerti
Incubat ingenio, cui per phantasmata duplex
Occurrit species, bivio dispersa superno?
Si vim mentis hebes stupor obsidet, adspice saltem
Obvia terrenis oculis elementa, quibus se
Res occulta Dei dignata est prodere signis.
Hanc haeresin praesaga Patris praeviderat olim
Maiestas fore, quae rectorem lucis et orbis
Scinderet in partes, geminatum segrege regno.
Iccirco (2) specimen posuit spectabile nostris
Exemplumque oculis, ne quis duo numina credat
(Imperitare vagis mundi per inania formis) (3).

(1) *sumsit*. Gisel. et vulgo *sumpsit*. — *adopticum*, non vero per adoptionem adsumptus, sed genitus, non factus. Vide sis S. Thomae *Summam*, III. P. Quaest. xviiI.
V. Avs. Ephemeris III *Oratio* 10-12. Vide Avgvst. *De Civit. Dei*, II, c. 6.

(2) *iccirco*. V. ad not. N. 2.

(3) *Imperitare vagis* etc. Versum hunc lxviiI e Theolio descripsi uncis conclusum, qui desideratur in omnibus fere codd. manu exaratis, si demas unum de Vaticc., ubi aliena manus deprehenditur. De eo Gisel.: « neque istud quidem carmen Aldina habet editio, cui adstipulatur unus m. ss. qui idem in versu proximo nonnihil variat. Habet enim non *resolutos*, sed *revolutos*. »

Una per immensam caeli caveam revolutos
Praebet flamma dies: texit sol unicus annum.
Triplex ille tamen nullo discrimine trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet.
Motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe simul, lux, et calor, et vege- [tamen (1):
Una eademque tamen rota sideris indiscretis (2)
Fungitur his, uno servat tot munera ductu,
Et tribus una subest mixtim (3) substantia rebus.
Non conferre (4) Deo, velut aequiparabile, quidquam
Ausim, nec Domino famulum componere signum:
Ex minimis sed grande suum voluit Pater ipse
Coniectare homines, quibus ardua visere non est.
Parvorum speculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quaerere verum.
Nemo duos soles, nisi sub glaucomate (5), vidit:
Aut si fusca polum suffudit palla (6) serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus et aër;

(1) *Vegetamen:* quod vim excitat vegetandi. Vide v. 299; et vox Prudentiana omnino videtur.

(2) *indiscretis.* Versus spondaicus. Occurrunt in *Hamartigenia* versus ad hunc modum facti. V. Advers. Maciòn 103, 144, 223, 267, 391, 623, 714, 723, etc.

(3) *mixtim* aut *mistim*: μίγδην, vox Lucretiana.

(4) *non conferre... quidquam Ausim.* Res divinas enucleare, similitudinibus sumptis e rebus creatis, perutile quidem est; sed id quidem a periculo non vacat, uti notat AVGVST. Ep. CV, et Serm. CXVII, *De verb. Evangel. Ioan.*

(5) *sub glaucomate.* Est γλαύκωμα vitium oculorum, quo vitio color naturalis in glaucum convertitur. V. PLIN. MAIOR. XXIX, 6, 38.

(6) *palla.* Nubes, quibus caelum obducitur, pallae comparantur, quae cingit corpus obvolvitque.

Est glaucoma, aciem quod tegmine velet aquoso,
Libera ne tenerum penetret meditatio caelum,
Neve Deum rapidis comprendat sensibus unum.
Spargitur in bifidas male sana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus exstruit aras.
Si duo sunt igitur, cur non sint multa deorum
Millia? cur numero deitas contenta gemello est?
Annon in populos dispersa examina divum
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semideis passim nullo discrimine monstris,
Quis fera barbaries perituros mactat honores?
Dissona discretum retinent si numina caelum;
Convenit et nebulis, et fontibus, et reboanti (1)
Oceano, et silvis, et collibus, et speluncis (2),
Fluminibus, ventis, fornacibus, atque metallis
Adsignare deos proprios (3); sua cuique iura.
Vel, si gentiles (4) sordet venerarier (5) umbras,
Et placet esse duos sceptris socialibus aequos,
Dic age, quis terras ditionis sorte retentet?

(1) *reboanti;* Oceanus Homero est πολύφλοισβος, scilicet multum agitatus, et resonans: quod Epitheton illi est perpetuum. V. Paganvm, « Discorso sul Gusto, e sulle Belle Arti ». Venezia, MDCCCXXV. pag. 19.

(2) *et speluncis.* Versus spond.

(3) *Adsignare deos* etc. Ut metri ratio planior adpareat Giselinvs ita versum refingit: *Adsignare deos proprios sua iura cuique.* Sed omnes codd. m. ss. eum habent, qualem produximus; neque τὸ *cuique* si ad dactylum conficiendum sumas, Prudentio iniurius fueris.

(4) *gentiles.* Proprie gentilis est qui ex eodem genere ortum habuit. Sequiori aevo gentiles vocati sunt barbari a Romanis, et quotquot inculte viverent, sine gentium iure. Penes Iudaeos et Christianos gentiles appellabantur, qui perversum deorum cultum profiterentur. Hoc sensu hic legimus *gentiles... umbras.* V. Περὶ Στεφ. X, 464; *Contra Symmach.* I, 576. Cfr. Svlpitii Severi *Hist. Sacrae,* Lib. II, 2.

(5) *Venerarier.* παραγωγή.

Quis regat aequoreas aeterna lege procellas?
Ede coheredum distinctum ius dominorum.
Unus, ait, tristi residet sublimis in arce,
Auctor nequitiae, scelerum Deus, asper, iniquus:
Qui quodcumque malum vitioso fervet in orbe,
Sevit, et anguino medicans nova semina succo,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipse opifex mundi, terram, mare, sidera fecit;
Condidit ipse hominem lutulenta et membra coëgit,
Effigians, quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, informi tumulus quod tabe resolvat.
Ast alii pietatis amor, placidumque medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia servans.
Testamenta duo fluxerunt (1) principe utroque:
Tradidit iste Novum melior; Vetus illud acerbus.
Haec tua, Marcion, gravis et dialectica vox est:
Immo haec attoniti phrenesis (2) manifesta cerebri.
Novimus esse patrem scelerum (3) : sed novimus ipsum
Haudquaquam esse Deum: quin immo gehennae
Mancipium, stygio qui sit damnandus Averno.
Marcionita Deus, tristis, ferus, insidiator,
Vertice sublimi, cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput et fumo stipatur et igni,
Liventes oculos suffundit felle perusto

(1) *Testamenta duo fluxerunt.* Marcion *Vetus Testamentum* reiiciebat, tamquam ex Deo malo profectum; *Novum* vero *Testamentum* ex libidine refinxit. V. Tertvll. *Contra Marcionem*, Lib. I, c. XVI.

(2) *Phrenesis.* Insania, furor quorundam aegrotorum, e graeco φρένησις. Secundam vocis syllabam et Sever. Sammon. 7, 90, aliique corripuere.

(3) *patrem scelerum.* Daemon. (V. Ioan. VIII, 44). Poëtarum more Daemonis prosopographiam nobis offert Prudentius. Vide sis in hanc rem T. Tassvm, *La Gerusalemme Liberata*, (Cant. IV *coi commenti di C. Arborio Mella*).

Invidia, impatiens iustorum gaudia ferre.
Hirsutos iuba densa humeros errantibus hydris
Obtegit, et virides adlambunt ora cerastae.
Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum revocat, facilique ligamine tortas
Innectit pedicas, nervosque in vincula tendit.
Ars olli (1) captare feras, animalia bruta
Inretire plagis, retinacula denique caecis
Indeprênsa locis erranti opponere praedae.
Hic ille est venator atrox, qui caede frequenti
Incautas animas non cessat plectere Nebroth (2);
Qui mundum curvis anfractibus et silvosis (3)
Horrentem scopulis, versuto circuit astu,
Fraude alios tectisque dolis innectere adortus:
Porro giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos late exercere triumphos.
Improba mors (4), quid non mortalia pectora cogis?
Ipse suam (pudet heu!) contemto (5), principe vitae
Perniciem veneratur homo: colit ipse cruentum
Carnificem, gladiique aciem iugulandus adorat.
In tantum miseris peccati nectare captis
Dulce mori est! tanta in tenebris de peste voluptas?
Qui mala principio genuit, Deus esse putatur:
Quique bona infecit vitiis, et candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis

(1) *olli*. Archaism. pro *illi*. V. *ollis* Hamartig. 731, etc. — *feras*, intellige mortales, qui ob corruptos mores ferarum ritu vivunt.

(2) *Nebroth*. Ita m. ss. — Gisel. *Nembroth*. De eo V. *Genes.* X, 8. In Septvaginta tamen Νεβρώδ. Ob ferociam crudelitatemque insignis tamquam daemon habetur.

(3) *silvosis;* codd. Vatt. m. ss.; Heinsivs in *Addit.* ex Boheriano codice descripsit *sinuosis*. Vers. spondaic.

(4) *improba mors*. Mors, metonym. pro daemone, qui mortis fuit causa — *quid non mortalia pectora cogis?* Virg. *Aen.* III, 56.

(5) *contemto,* et multi. — Giselin. *contempto.*

Consecrasse deas Febrem Scabiemque (1) sacellis.
Inventor vitii non est Deus: angelus (2) illud
Degener infami conceptum mente creavit;
Qui prius augustum radiabat sidus, et ingens
Ex nihilo splendor nutrito ardebat honore:
Ex nihilo nam cuncta retro, factumque quod usquam est.
At non ex nihilo Deus, et Sapientia vera,
Spiritus et Sanctus: res semper viva, nec umquam
Coepta, sed aërios etiam molita ministros (3).
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox (4), nimiis dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos licito iactantius ignes;
Persuasit propriis genitum se viribus, ex se
Materiam sumsisse, sibi, qua primitus esse

(1) *Febrem Scabiemque.* Febris, ut dea, est culta a Romanis, ne esset civibus nocumento. PLIN. MAIOR unum Febris fanum memorat in Palatio prope Velabrum, alterum in area Marianorum monumentorum ad montem Esquilinum, tertium ad summam partem Vici Longi Aquilae in monte, in regione Transtiberina, quod publice est dedicatum (Lib. II, 7, 5). Sed et extra urbem Romam Febris exculta fuit. In Transilvaniae quadam regione inscriptio est effossa, quam e GRVTERO describam:

Febri . divae . Febri
Sanctae . Febri . magnae
Camilla . Amata . pro . filio
male . affecto . p.

Ut dea etiam Scabies, est habita; et cultum in se convertit foedus hic cutis morbus.

(2) *Angelus... degener.* De excellenti praestantique natura principis angelorum, antequam infestis signis in Deum pergeret, V. ISAIAM XIV, 2.

(3) *aërios... ministros.* Poëtice Luciferi comites aërios appellat; alis instructos. De natura namque angelorum nihil certi et praefiniti erat aetate Prudentii praescriptum.

(4) *ferox.* Quo sensu accipienda sit haec vox *ferox*, iam pluries dixi V. περὶ Στεφ. III, 32.

Inciperet, nascique suum sine principe coeptum.
Hinc schola (1) subtacitam meditatur gignere sectam;
Quae docet e tenebris subitum micuisse tyrannum (2).
Qui, velut aeterna latitans sub nocte, retrorsum (3)
Vixerit, et tecto semper regnaverit aevo.
Aemulus, ut memorant, opera ad divina repente
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio sed nostra negat, cui non licet unam
Infirmare fidem, sacro quae tradita libro est.
Nil, ait, absque Deo factum (4), sed cuncta per ipsum,
Cuncta; nec est alius quisquam nisi factus ab ipso.
Sed factus de stirpe bonus (5), bonitatis in usum
Proditus, et primo generis de fonte serenus:
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit invidia, stimulisque instigat amaris;
Arsit enim scintilla odii de fomite zeli (6),
Et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et structile flatu
Concaluisse Dei: dominum quoque conditioni
Impositum (7): natura soli, pelagique, polique,

(1) *schola.* De Marcionis schola et doctrina V. S. Avgvst. *De Civit. Dei*, II, 13.
(2) *tyrannum*, proprie.
(3) *retrorsum:* scil. ab aeternitate.
(4) *Nil, ait, absque Deo factum.* Ioan. I; *Genes.* I.
(5) *factus de stirpe bonus.* « Vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona. » *Genesis* auctor I. Quae poëtae verba in Priscillianistas dicta sunt, qui diabolum nunquam fuisse bonum contenderent; ideoque eius naturam a Deo non fuisse profectam, V. S. Leonis Ep. XV, c. VI.
(6) *de fomite zeli.* In deteriorem hic partem zelus accipitur, scil. pro invidentia, quae oritur ex alterius bono, et odium parit. Ad hunc modum verbum ζηλόω usurpat S. Pavlvs, *ad Corinth.* XIII, 4.
(7) *conditioni Impositum.* Deus eorum omnium, quae creasset, dominum primum imposuit hominem. V. *Genes.* I, 26.

Ut famulans homini locupletem fundere partum
Nôsset, et effusum terreno addicere regi,
Qui cunctum regeret proprio moderamine mundum (1).
Inflavit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deque acidis vim traxit acerba medullis:
Bestia, sorde (2) carens, cui tunc sapïentia longi
Corporis enodem (3) servabat recta iuventam,
Complicat ecce novos sinuoso pectore nexus,
Involvens nitidam spiris torquentibus alvum.
Simplex lingua prius, varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonant sermone trisulco.
Hinc natale caput vitiorum; principe ab illo
Fluxit origo mali: qui se corrumpere primum (4),
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.
Ultimus exitium subverso praeside mundus
Sortur, mundique omnis labefacta supellex.
Non aliter quam quum incautum spoliare viantem
Forte latro adgressus, praedae prius immemor, ipsum

Sunt qui legant *conditione;* atque ita var. lect. explicant, Adamum nempe ea conditione dominum terris fuisse impositum, ut subiectus Deo esset, eique pareret.

(1) *Qui, cunctum regeret* etc. Hunc versum HEINSIVS missum fecit; GISELINVS uncis inclusit, recudens: « *Qui cunctum propriis regeret moderamine mundum* »; nos revocavimus cum THEOLIO, codd. Vaticc. freti; quamquam alii eum ipsum post 191 describunt, complures tamen hoc loco ponunt.

(2) *Bestia, sorde carens.* Plerique. — GISEL. in ora edit. parisinae: *corde carens.*

(3) *Enodem... iuventam*, Poëtice ludit noster in serpentis immutatione, quae Adami et Hevae labem consecuta est. De qua re vide IANSENIVM IPRENS. *Comment. in Genes.* III, 12.

(4) *Qui se corrumpere primum* etc. Etenim, uti ait S. IOAN. VIII, 44: « *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* ».

Ense ferit dominum, pugnae nodumque, moramque (1),
Quo pereunte trahat captivos victor amictus,
Iam non obstanti locuples de corpore praedo.
Sic homini subiecta domus, ditissimus orbis
Scilicet in facilem domino peccante ruinam
Lapsus, herile malum iam tunc vitiabilis hausit.
Tunc lolium lappasque leves (2) per adultera culta
Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus,
Triticeam vacuis segetem violavit avenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
Iamque iugo edomitos rictu laniare iuvencos,
Occiso pastore, truces didicere leones.
Nec non et querulis balatibus irritatus (3)
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens sollertia furti
Inbuit, et tortos acuit fallacia sensus.
Quamvis maceries (4) florentes ambiat hortos,
Saepibus et densis vallentur vitea rura;
Aut populator edet (5) gemmantia germina bruchus,

(1) *pugnae nodumque, moramque.* Virgilianum hemistich. ex *Aen.* X, 428. Nodum vero pro eo quod est remora et impedimentum, interdum usurpavere Romani. Sic FLORVS *Epit. Rer. Romanar.* L. IV, c. 9: « *Quum scopulus et nodus et mora publicae securitatis superasset Antonius...* »

(2) *Tunc lolium* etc. De rerum omnium natura in peius lapsa post aurea saecula satis multa cecinerunt VIRG. *Georg.* I, 125 et seqq.; OVID. *Metam.* I. 115 et seqq., aliique.

(3) *Nec non* etc. vers. spond.

(4) *Maceries* pro *maceria;* et est murus sub diu positus ad circumsaepiendos hortos, villas, silvasque, non calce, sed sicco lapide constructus.

(5) *Aut populator edet.* GISEL., in margine; sed in contextu: « *aut populata rodet* ». Hic vero praeceptor callidus discipulos suos animadvertere iubebit, vel hac nostra aetate, ob coeli inclementiam et immodicas anni tempestates, in agris nos saepenumero videre brucos, involvulos, et bestiolas oculis impervias, quas μικρόβιας vocitamus, quaeque culta nostra depopu-

Aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.
Quid loquar herbarum fibras, medicante veneno (1)
Tinctas, letiferi fudisse pericula succi?
Noxius in teneris sapor aestuat ecce frutetis,
Quum prius innocuas tulerit natura cicutas,
Roscidus et viridem qui vestit flos rhododaphnem (2)
Pabula lascivis dederit sincera capellis.
Ipsa quoque oppositum destructo foedere certo
Transcendunt elementa modum, rapiuntque, ruuntque
Omnia, legirupis (3) quassantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos Aquilonum proelia lucos,
Et cadit immodicis silva exstirpata procellis.
Parte alia violentus aquis torrentibus amnis
Transilit obiectas (4), praescripta repagula, ripas,
Et vagus eversis late dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem nascentibus ipse
Conditor instituit; sed laxa licentia rerum
Turbavit placidas, rupto moderamine, leges.
Nec mirum si membra orbis concussa rotantur,
Si vitiis agitata suis mundana laborat

luntur. De his multa multi medici, doctique physici loquuntur; at nemo fere ad mali labem, assurgit, quam Prudentius tangit.

(1) *medicante veneno*. Medicare in mal. partem saepe pro prave imbuere, inficere, corrumpere. V. VIRG. *Georg.* I, 193.

(2) *rhododaphnem*. A ῥόδον (rosa) et δάφνη (laurus) fruticem designat florem gignentem roseum, folium vero indeciduum, et lauri foliis simile. Vocatur etiam rhododendros aut nerion: nos Itali dicimus *ebbio*, *oleandro*. Iumentis, caprisque atque ovibus venenum est. V. PLIN. *Hist. Nat.* XVI, 20, 23; et XXIV, 14, 53.

(3) *legirupis*. Legirupus est qui leges rumpit, violat. Vox adiect., Plauto familiaris. V. PSEVD. I, 3, v. 130; PERS. I, 2, 16; RVD. III, 4, 3, ubi tamen vide F. H. BOTHE.

(4) *Transilit obiectas ... ripas*. Non assentimur GISELINO, qui in sua edit. parisina habet: *transilit obiectae ... ripae;* et perperam multi cum eo faciunt contra ἐπεξήγησιν Prudentio perfamiliarem.

Machina, si terras luis (1) incentiva fatigat.
Exemplum dat vita hominum, quo cetera peccent :
Vita hominum, cui quidquid agit, vesania et error
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffluat, impuro fervescat ut igne libido,
Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges avaritiae, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit maior ab auro (2).
Inde seges scelerum, radix et sola malorum :
Dum scatebras fluviorum omnes, et operta metalla
Eliquat ornatus solvendi leno pudoris (3) :
Dum venas squalentis humi scrutatur (4) inepta
Ambitio, scalpens naturae occulta latentis,
Si quibus in foveis radiantes forte lapillos
Rimata inveniat ; nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur femina formam (5).

(1) *luis incentiva*, pro *lues*, uti in HAMARTIG. 250. Sed enim plures *lues* utroque in loco retinent, bene multis codicc. Vaticc. consentientibus. Ceterum Prudentius desinentiam in *lues*, sumpta plus semel sibi licentia, corripuit.

(2) *Auri namque fames*, quam VIRGILIVS sacram denotavit (*Aen.* III, 57), quamque ALIGHERIVS dixit : « Dell'oro l'appetito dei mortali » (*Purg.* XXII, 41). IVVENALIS, *Sat.* XIV stilo suo defixit (v. 119 et seqq.). Cfr. et HOR. notavit *Lyricor.* III, 16, v. 46. — *Inde seges scelerum.* V. Ψυχομ. 520 et seqq.

(3) *solvendi leno pudoris.* Haec dicta in mentem revocant IVVENALIS quae leguntur *Sat.* VI. 457 et seqq.

(4) *Dum venas squalentis humi* etc. Vide HOR. *Lyricor.* III, 3, v. 49.

(5) *externam mentitur femina formam.* Qui nam fuerit feminarum mundus muliebris penes Romanos nos docent Ovidius in primis, et Martialis. Vide hac de re *Toilette d'une Romaine au temps d'Auguste, et conseils à une Parisienne sur les cosmétiques. Troisième édition etc., par le Dr.* CONSTANTIN JAMES. *Paris, Garnier Frères libraires-éditeurs.* Hanc vero artem, quam multae feminae ad venandos ob immutatam formam viros, eosque prolectandos exercerent, insectatus est S. HIERONYMVS, *Ad Furiam Ep.* « *De virtute servanda* ».

Ac velut artificis Domini manus imperfectum (1)
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hiacynthis
Pingere sutilibus (2) redimitae frontis in arce,
Colla vel ignitis sincera incingere sertis,
Auribus aut gravidis virides suspendere baccas:
Nectitur et nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
Taedet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quae plasmata fuco
Inficiunt, ut pigmentis cutis inlita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Haec sexus male fortis agit, cui pectore in arto
Mens fragilis, facili vitiorum fluctuat aestu.
Quid? quod et ipse caput muliebris corporis et rex,
Qui regit invalidam propria de carne resectam
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum. Cernas mollescere (3) cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, et rigidos duraverat ossibus artus.
Sed pudet esse viros; quaerunt vanissima quaeque
Quîs niteant: genuina leves, ut robora solvant,
Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus (4)
Gaudent, et durum scutulis perfundere corpus.

(1) *Ac velut artificis* .... Vers. spond.

(2) *sutilibus*. Multi, GISELINVM secuti, *scultilibus*. Ipse tamen Batavus philologus in ora edit. suae parisinae habet *sutilibus*. Ceterum noster *lapillos sutiles* scripsit in Καθημ. VII, 158; et nos vidimus etiam *sutile vinclum* Περὶ Στεφ. IV, 24.

(3) *cernas mollescere*. Homines molles effeminatosque per contemptum romani feminas, semivirosve appellavere. V. VIRG. IV, *Aen*. 215; LIV. XXXIII, 28; STAT. *Achilleid*. 363.

(4) *Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus*. De veste bombycina sive serica obiter quaedam innuimus in hymno Sancti

Additur ars, ut fila herbis (1) saturata recoctis
Inludant varias distincto stamine formas.
Ut quaeque est lanugo ferae mollissima tactu,
Pectitur. Hunc videas lascivas praepete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis;
Illum pigmentis redolentibus, et peregrino
Pulvere femineas spargentem turpiter auras (2).
Omnia luxus habet nostrae vegetamina vitae,
Sensibus in quinque statuens quae condidit auctor.
Auribus atque oculis, tum naribus atque palato
Quaeritur infectus vitiosis artibus usus.
Ipse etiam, toto pollet qui corpore, tactus
Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit.
Proh dolor, ingenuas naturae occumbere leges,
Captivasque trahi, regnante libidine, dotes!
Perversum ius omne viget, dum quidquid habendum
Omnipotens dederat, studia in contraria vertunt.
Iccircone (3) rogo, speculatrix pupula molli
Subdita palpebrae est, ut turpia semivirorum
Membra theatrali spectet vertigine ferri,

Laurentii Περὶ Στεφ. v. 237. De veste autem scutulata, seu scutulis distincta, virgata, etc. vide Plin. Maior. VIII, 48, 74.

(1) *Additur ars, ut fila herbis,* etc. Colores ex herbarum stirpibus expressos, quibus mulieres in veste distinguenda uterentur, enumerat Ovid. in parum pudico opere *De Arte Amandi.* – *Inludant.* De hoc verbo Vide nostrum Περὶ Στεφ. XIV, 105.

(2) *femineas... auras.* Turpe viris est unguenta bene olere, feminarum more delicatarum; nisi forte malum odorem, seu foetorem oris cupiant dissimulare e suis corporibus profluentem. Hinc in quendam sui temporis Martialis iocatus est maligne Epigr. II, v. 13:

Hoc mihi suspectum est quod oles bene, Posthume, semper;
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

(3) *Iccircone.* — Giselin. *Idcircone.* V. Cellar. *Ort. Lat.*

Incestans miseros foedo oblectamine visus ?
Aut ideo spirant, mediaque ex arce cerebri
Demittunt geminas sociata foramina nares,
Ut bibat inlecebras male conciliata voluptas ?
Quas pigmentato meretrix iacit improba crine ?
Num propter lyricae modulamina vana puellae,
Nervorumque sonos, et convivale calentis
Carmen nequitiae (1), patulas Deus addidit aures ?
Perque cavernosos iussit penetrare meatus
Vocis iter ? Numquid madido sapor inditus ori
Vivit ob hanc caussam, medicata ut fercula pigram
Ingluviem, vegetamque (2) gulam ganeonis inescent ?
Per varios gustus instructa ut prandia ducat
In noctem, lassetque gravem sua crapula ventrem ?
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum gelidumve Deus cognoscere nosmet
Attactu voluit, palpandi interprete sensu.
At nos delicias plumarum, et linea texta
Sternimus, atque cutem, fulcro attenuante, polimus.
Felix, qui indultis potuit (3) mediocriter uti
Muneribus, parcumque modum servare fruendi !
Quem locuples mundi species, et amoena venustas,

(1) *Carmen nequitiae...* En Musica ars, quae sensibus oblectandis unice intenta est, animamque humi defigit. Corruptis moribus, non heroum virtutes in epulis, sed ad vinum diserti mortales probra quaeque canere soliti erant.

(2) *Vegetamque gulam ganeonis* — alii : *vetitamque gulam*. Ganeo est qui ganeas frequentat. Istiusmodi mortales lurcones, ventres, comedones, heluones Romani appellabant ; nos, more nostro vocaremus : *un leccardo, un taverniere, un picchione* illum, cuius deus venter est. Vocem vidimus in *Hamartig.* v. 323.

(3) *Felix qui indultis potuit.* V. S. PAVLVM *ad Timoth.* VI, 8.

Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit, ut puerum, nec inepto addicit amori:
Qui sub adumbrata dulcedine triste venenum
Deprehendit (1) latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis sanctum bonumque
Principio rerum, Christus cum conderet orbem.
Vidit enim Deus esse bonum: velut ipse Moyses
Historicus mundi nascentis testificatus (2):
Vidit, ait, Deus esse bonum quodcumque creavit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo,
Inspirante Deo quod sanctus vaticinator
Prodidit, antiquae recolens primordia lucis,
Esse bonum quidquid Deus, et Sapientia fecit.
Conditor ergo boni Pater est, et cum Patre Christus.
Nam Deus, atque Deus Pater, est et Filius unum:
Quippe unum natura facit, quae constat utrique
Una voluntatis, iuris, virtutis, amoris.
Non tamen iccirco (3) duo numina, nec duo rerum
Artifices; quoniam generis dissensio nulla est,
Atque ideo nulla est operis distantia, nulla
Ingenii: peperit bona omnia conditor unus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primae violatur origine venae;
Sed dum liventes liquor incorruptus arenas
Praelambit, putrefacta inter contagia sordet.
Numquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, olivum,
In se vim sceleris, quum formarentur, habebant?
Quod iugulatur homo, non ferrum caussa furoris,
Sed manus est (4); nec equum vesania fervida Circi

(1) *Deprehendit.* — Sed. Gisel. rectius corr. *deprêndit.*
(2) *testificatus*, Weitzius. — *testificatur* Gisel. et quidam codd. mss.
(3) *iccirco*, saepiuscule V. ad vers. 10, 309, etc.
(4) *Sed manus.* Malum hominis ingenium ad malos usus convertit quidquid vitae commodis et voluptati inservit. V. Tibull.

Auctorem levitatis habet, rabidive fragoris.
Mens vulgi rationis inops, non cursus equorum,
Perfurit: infami studio perit utile donum.
Sic Lacedaemonias oleo maduisse palestras (1)
Novimus, et placidum servire ad crimina succum.
Inde per aërium (2) pendens audacia funem,
Ardua securis scandit proscenia plantis.
Inde feras volucri (3) temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisque inter discrimina ludunt.
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consensus, legesque iubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum discerpta cruentis
Morsibus oblectent hilarem (4) de funere plebem.

I *Eleg.* X init. — *vesania Circi.* In ludis Circensibus populus coibat, favebatque Russatae, aut Prasinae, Venetae, aut Albatae factioni aurigationis, et interdum aestu abreptus inconditos eiebat tumultus. De ludis Circi V. PLIN. IVN. *Epist.* Lib. IX, 6, 51; TVLL. *Famil.* VII, 1.

(1) *Sic Lacedaemonias oleo* etc. Pinguis olivae liquoris maximus usus in palaestra fuit. Ungebantur enim palaestritae, quo validiores forent, atque ex adversarii manibus facilius elaberentur. Hinc apud CATVLL. (Epigr. LXIII, 65) Atys: « Ego ephebus, ego puer, Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei ». Ita iuvenculus patriam alloquitur moesta miseriter voce.

(2) *Inde per aërium* etc. Aliis atque aliis verbis funambulum, designat, quem IVVEN. III, 77 latinis litteris interpretatur σχοινοβάτην.

(3) *Inde feras volucri* etc. Ludos gladiatorios vocabant venationes, quoties servi cum servis ad spectaculum in arena pugnaturi descenderent; aut homines cum bestiis congrederentur. Bestiarii istiusmodi mortales appellabantur, quorum duplex fuit genus; aut eorum qui cum pantheris aut leonibus digladiarentur, mercede conducti; aut eorum qui ipsi ultro torosos lacertos ostentandi causa sese offerrent ad populi oblectationem. Ob admissa scelera multi ad venationem cogebantur. Plerumque ad bestias Christiani damnabantur, quo tempore imperatores in Christianum nomen saevirent; hocque modo vitam sanctissimam martyrio coronabant.

(4) *hilarem de funere plebem.* Codices nonnulli manuscr. et HEINSIVS *hilaram... plebem.* Sed *hilaris, e,* et *hilarus, a, um*

Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi
Percensere piget, quae veri oblita Tonantis
Humanum miseris volvunt erroribus aevum.
Nemo animum summi memorem Genitoris in altum
Excitat, ad Caelum mittit suspiria nemo;
Nec, recolens apicem solii natalis, ad ipsum
Respicit auctorem, nec spem super aëra librat:
Sed mentem gravidis contentam stertere curis,
Indigno subdit domino, perituraque pronus (1)
Diligit, et curvo quaerit terrestria sensu.
Hoc pulchrum, quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica; commendat quod perniciosa voluptas;
Quod, velut excitus difflato pulvere ventus,
Praeterit, exemplo tenuis quod transvolat umbrae.
His aegras animas morborum pestibus urguet
Praedo potens, tacitis quem viribus interfusum (2)
Corda bibunt hominum: serit ille medullitus omnes
Nequitias, spargitque suos per membra ministros.
Namque illic numerosa cohors sub principe tali
Militat, horrendisque animas circumsidet armis
Ira, superstitio, moeror, discordia, luxus,
Sanguinis atra sitis, vini sitis, et sitis auri,
Livor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
Informes horrent facies habituque minaces:
Ambitio ventosa tumet, doctrina superbit,
Personat eloquium, nodos fraus abdita nectit.
Inde canina foro latrat facundia (3) toto.

adiect. vox indiscriminatim apud probos latinos usurpatur pro eo quod est laetus, iucundus, gratus.

(1) *perituraque pronus.* In tales homines Persius inclamat: « O curvae in terris animae, et caelestium inanes! » *Sat.* II. 61.

(2) *Praedo, potens,* etc. Vers. spond.

(3) *canina ... facundia*, cuius omnis vis in criminando et conviciando consistit. V. Quintil. XII, 9; Lactant. VI, 18.

Hinc gerit Herculeam vilis sapientia clavam (1),
Ostentatque suos vicatim Gymnosophistas (2).
Incerat lapides fumosos idololatris (3)
Relligio, et surdis pallens advolvitur aris.
Heu quantis mortale genus premit improbus hostis
Armigeris! quanta ferrata satellite ductor
Bella gerit! quanta victos ditione triumphat!
Surgit in auxilium Chananeus (4), atque agmina denset,
Casside terribilis; setarum pondera mento
Concutiens, dextramque gravi cum cuspide quassans.
Ast alia de parte furens exercitus ardet
Regis Amorrhoei: tum millia Gergeseorum (5)
Effundunt aciem toto volitantia campo:
Eminus hi feriunt, confligunt comminus illi.
Ecce Iebusaicae (6) fervent ad praelia turmae,

(1) *Herculeam... clavam.* Philosophi, praesertim cynici, uti Hercules clava, baculo insistentes, sese esse sapientes hoc modo profitebantur. Quare S. AVGVST. *De Civit. Dei*, XIV, 20: « Videmus adhuc esse philosophos, qui non solum amiciuntur pallio, verum etiam clavam ferunt ».

(2) *Gymnosophistas,* eos viros vocabant, qui, uti Indiae gymnosophistae, in solitudinibus errantes, omnem cultum despicarentur, et se esse sapientes venditarent.

(3) *Incerat lapides fumosos...* GISEL. — *Incerat fumosos lapides...* THEOL. contra probam metri rationem. De cera, qua lapideas deorum dearumque statuas oblinerent veteribus religionibus addicti, alias obiter diximus; et videbimus I Contra Symmach. 203. — *idololatrix* GISELIN. — sed *idololatris* HEINSIVS, qui post GRONOV., iure animadvertit *idololatrix, icis* neque esse graecam neque latinam vocem adiectivam.

(4) *Chananēūs,* pro *Chananaeus,* et vox est trissyllaba, uti trissyllabam fecit noster in *Apoth.* 982, per synizesin quamdam. Poëta vero, imagine sumpta septem populorum, qui contra Israëlitas surrexerant, septem vitia percenset, quibus mortales vexantur.

(5) *Gergeseorum.* Gergeseus populus unam constituit e sex tribubus Chananeorum.

(6) *Iebusaicae.* — GISELIN. *Gebusaicae.*

Aurea tela quibus de sanguine tincta draconis
Mortifero splendore micant, radiantque necatque (1):
Nec non terrificas pilis armare catervas
Te, Chettaee iuvat: sed gens Pherezaee sagittis (2)
Insultat virtute pari, sed dispare ferro.
Postremum cuneum rex promovet Aeveorum (3),
Squamosum thoraca gerens de pelle colubri.
Hic subnixa viris scelerum perversa potestas
Edomat invalidas mentes, quae simplicitate
Indociles, bellique rudes sub foedere falso
Tristis amicitiae primum socia agmina credunt,
Mammoneamque fidem (4) pacis sub amore sequuntur.
Mox faciles ad vincla rapi, iuga dura volentes
Addictis subeunt cervicibus, et nebulonum
Spirituum iussis servire ferocibus optant.
Ille, supervacuis augens patrimonia fundis,
Finitimisque inhians, contemto (5) limite, agellis,
Ducitur innexus manicis, et mille catenis
Ante triumphales currus, post terga revinctus,
Nec se barbaricis addictum sentit habenis:
Hic, qui ventosae scandit fastigia famae (6),
Inflaturque cavo pompae popularis honore,
Qui summum solidumque bonum putat, ambitionis

(1) *radiantque necatque.* — GISELIN. *Mortifero splendore nitent, radiantque micantque.*

(2) *Chettaee* — GISELIN: *Cethaee.* — *Pherezaee* — GISELIN: *Ferezea.*

(3) *Aeveorum.* GISELIN. — *Evaeorum.* THEOL.

(4) *Mammoneamque fidem*, fidem scilicet eorum, quos Mammonae, seu thesauris unice intentos vides; hanc mammoneam fidem, seu falsam appellat poëta.

(5) *contemto limite.* Omnes receptae editt. — HEINSIVS in *Add.* ex EGMOND. *contento limite*, pro eo quod est extenso; sed prior magis placet.

(6) *Ventosae ... famae.* Ventosam gloriam appellat VIRGILIVS, *Aen.* XI, 708.

Crescere successu, praeconum voce trementes
Exanimare reos, miserorum in corpora fasces
Frangere, terribiles legum exercere secures;
In laqueum iam colla dedit, iam compede dura
Nectitur, et pedibus servilia vincula limat.
Credite, captivi mortales, hostica quos iam
Damnatos cohibent ergastula, quos famulatu
Poenarum virtus non intellecta (1) coërcet;
Haec illa est Babylon (2), haec transmigratio nostrae
Gentis, et horribilis victoria principis Assur:
Carmine luctifico quam deflens Ieremias (3),
Orbatam propriis ululavit civibus urbem.
Num latet, aut dubium est, animas de semine Iacob
Exsilium gentile pati: quas Persica regna
Captivas retinent, atque in sua foedera cogunt?
Illic natali desuescunt vivere ritu,
Moribus et patriis exutae in barbara iura
Degenerant, linguamque novam (4), vestemque se-
Deque profanato discunt sordescere cultu, [quuntur,
Nutricemque abolent petulanti e pectore Sion.
Iam patriae meminisse piget: iam mystica frangunt
Organa, et externi laudant anathemata (5) regni.

(1) *virtus non intellecta.* Virtus haec, ait Cellarius, « ignorantiam sui et contemptum vindicat famulatu poenarum ».

(2) *Haec illa est Babylon.* Babylon, Chaldaeorum urbs; et mox *Persica regna* daemonis regnum designant. Ita *semen Iacob* Christianos in captivitatem perductos, vinculis peccatorum constrictos, pravisque erroribus de religione circumactos.

(3) *Carmine luctifico...* vers. spond.

(4) *linguamque novam.* Neque linguam tantum, sed et scribendi rationem, quam Hebraei sub Esdra in Chaldaicam converterant, quemadmodum fert eruditorum opinio. Vide sis Br. Walton. *Proleg.* C. III. : et « Gian Bernardo De Rossi, *Della Lingua di Cristo, Dissert.* I. *Milano, per Gio. Silvestri*, 1842 ».

(5) *laudant anathemata.* A graeco verbo ἀναθίτημι anathemata proprie fuere donaria diis suspensa et dicata, ad templi ornamentum. V. Ψυχ. 540.

Nonne fuit melius saevum Memphitidis aulae (1)
Imperium tolerasse patres, penitusque sinistris
Adsedisse focis? positos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo, et paleis servire paratos,
Carnis et immodicae spurco ructamine crudos?
Quo tantum auxilii per prodigialia (2) signa
Effudit Dominus, populum dum forte rebellem
Servat ope immerita, vinclis dum subdita colla
Solvit, et Aegyptum virga serpente coërcet (3)?
Quid iuvat aequoreum (4) pelago cedente profundum
Pulverea calcasse via: quum conscia ponti
Saxa sub ignoto patuerunt prodita caelo,
Aruit et medio sitiens in gurgite limus?
Si victor virtute Dei, mediasque tenebras
Luce columnari (5) scindens exercitus olim,
Perdidit inventi vallem botryonis (6) opimam?
Si nescit versare solum, cui melle perenni
Gleba fluens niveos permiscet lactea rivos?
Si domitam Ierichon lituis (7), atque aere canoro
Rursus in antiquos (8) patitur consurgere muros?
Si ripis refluí Iordanis pellitur, et iam
Deserit adscriptam dimensa in iugera sortem?

(1) *Memphitidis aulae*, scil. Aegyptiacae. Memphis illustris olim fuit urbs ad Nili ripam occidentalem, de qua V. PLIN. MAIOREM, V, 9, 9.

(2) *prodigialia*. De voce v. *Contra Symm. I.* 451.

(3) *Aegyptum virga serpente coërcet.* De virga in serpentem conversa vide *Exod.* VII.

(4) *Quid iuvat aequoreum* etc. V. *Exod.* XIV.

(5) *Luce columnari scindens.* V. *Exod.* XIII.

(6) *vallem botryonis opimam.* — male GISEL. *optimam.* Haec ad denotandam regionis Chananaeorum fertilitatem. Vitis botryon est scopus, seu pediculus uvae, ex quo pendent racemi.

(7) *Ierichon.* — GISEL. *Hierichon.* V. *Lex. Pöet. Totius Linguae Lat.* V. LANFRANCHII.

(8) *Rursus in antiquos* etc. V. *Reg.* XVI, 34; et IOSVE VI, 26.

Denique si structam tantis sudoribus urbem (1),
Et quae nubigenas transcendunt culmina nimbos,
Defensare nequit? Si nescit, quis lapis ille est
Hostibus obsistens, ut inexpugnabile turris
Praesidium, quem non aerato machina rostro
Arietat insiliens, nec ferrea verbera quassant?
Angulus hic portae in capite est, hic continet omnem
Saxorum seriem, constructaque limina firmat,
Quem qui rite suis per propugnacula muris
Noverit insertum, seque ac sua moenia vallo
Praecingat triplici; celsa stans eminus arce
Fretus amore petrae, castis et pervigil armis;
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus (2)
Tempora pinnatis redimitus nigra sagittis.
Quin si fulmineos cogens ad bella gigantas (3)
Allophylus (4) tua castra velit delere tyrannus,
Tutus eris, nec te firma statione movebit
Ipse Charon (5) mundi, numen Marcionis: ipse,
Qui regit aërio vanas sub sole tenebras.
Nam vanum quidquid sol adspicit: ex elementis
Cuncta solubilibus fluxoque creamine constant.
Fallo, creaturam nisi doctor Apostolus omnem
Subiectam vanis non sponte laboribus orsus,
Periuro ingemuit miserans servire latroni :

(1) *Urbem*, scil. Hierosolymam. — *culmina transcendunt:* αὔξησις, de urbis turribus..

(2) *decolor Indus*. V. infra 635.

(3) *gigantas*. — Gisel. latine *gigantes*.

(4) *Allophylus:* ἀλλόφυλος, externus, alienigena. Graecam hanc vocem saepe usurpavit Svlp. Severvs, *Hist. Sacrae* I, ut Philistaeis innueret. Penultima est natura longa, quam tamen latini sine fraude corripuerunt.

(5) *Ipse Charon mundi*. Tamquam Charon habetur Marcion, qui devios mortales, sectae suae adstipulatos, ad inferorum regna subvectaret.

Errat, ait, qui luctamen (1) cum sanguine nobis,
Et carne, et venis ferventibus, et vitioso
Felle putat, calidisque animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt (2), nec terrea [virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit;
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, caelum inter et infima terrae
Quod patet, et vacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belia (3) rectoribus horret iniquis.
His conluctamur praedonibus, ut sacra nobis
Oris Apostolici testis sententia prodit.
Nemo habitum naturae, aut inritamina peccans
Corporis accuset: facile est frenare rebelles
Adfectus carnis, nimiosque retundere pulsus
Materiae fragilis, et viscera victa domare.
Quippe animus longe praestantior, utpote summo
Aethere demissus, subiectos si velit artus
Imperio quassare gravi, iussisque severis
Dedere, regnanti Domino (4) vis nulla resistet.
Maior inest vis illa homini, quae flatile virus

(1) *Errat, ait, qui luctamen* etc. V. S. Pavli *ad Ephes.* verba VI, 12; quem locum Estivs declarat, hisce prudentianis versibus usus.

(2) *Non mentem sua membra* etc. Relege ex integro pugnam, quam cum daemone nos instituere fortiter oportet.

(3) *principe Belia. Belial* (uti habet Giselin.) indecl. et *Belia, ae*, m. ex Isidoro VIII *Orig.* II. idem valet ac *sine iugo*, estque spiritus nequam, malignus. V. Ψυχ. 714.

(4) *regnanti Domino.* Etenim, uti docet Concil. Trid. V, § 5: « licet in nobis concupiscentia ad agonem relicta sit, nocere tamen non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet. »

Ingerit, et tenuem tenui ferit aëre mentem.
Parthica (1) non aeque ventos transcurrit arundo,
Cuius iter nullus potis est comprêndere visus,
Praepes enim volucres dum pennis transvolat auras
Improvisa venit, nec stridor nuntiat ante
Adventum leti, quam pectoris abdita rumpat,
Securam penetrans medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera est, magis et medicata sagitta,
Quam iacit umbrosi dominatio lubrica mundi,
Eludens excussa oculos, calamique volantis
Praepete transcursu cordis penetralia figens.
Nec segnis natura animae est, aut tarda cavendi
Vulneris: ignitum quoniam Deus indidit olli (2)
Ingenium purum, sapiens, subtile, serenum,
Mobile, sollicitum, velox, agitabile (3), acutum:
Factorem modo casta suum veneretur, et ipsi
Militet, ac victum proculcet sobria mundum:
Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis
Terrarum spoliis stulto oblectamine libans,
Nec sub fasce iacens, alieno et dedita regno
Non queat argutas hostis vitare sagittas.
Sed quid ego omne malum mundique hominumque maligni
Hostis ad invidiam detorqueo? quum mala nostra
Ex nostris concreta animis genus, et caput, et vim,
Quid sint, quid valeant, sumant de corde parenti (4)?

(1) *Parthica... arundo.* Parthos sagittis metuendos veterum historia et poëtae nobis offerunt; qui iaculis veneno medicatis hostibus fugitantes molestiam exhiberent.

(2) *olli.* ἀρχαϊκῶς. V. et 139; 731.

(3) *Mobile... agitabile.* — HEINS. Rectius fortasse *nobile* GISEL.

(4) *de corde parenti.* Curnam parenti? Quia: Ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροί, φόνοι, μοιχεῖαι, πορ-

Ille quidem fomes nostrorum, et caussa malorum est.
Sed tantum turbare potest aut fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito suggesta leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens,
Humani generis nì per suffragia gliscat.
Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum:
Ut genuit David, alias pater optimus, unum
Crimen Abessalon (1): taetrum pater ille, sed unum
Innocuas inter soboles genuit patricidam,
Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum.
Ah pietas! signis contraria signa paternis
Egit, et unius commisit sanguinis arma.
Nostra itidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt, versis qui protinus in nos
Morsibus insuescunt gignentum vivere poenis:
Depopulantur enim nimium fecunda parentum
Viscera, et interitu genitalis stirpis aluntur.
Progeniem verum ille suam rex utpote summus,
Atque Dei vates, pariturae et virginis auctor,
Tristibus atque piis (2) variaverat, ut Solomonis
Frater Abessalon sereret sua crimina iustis
Pignoribus, dulcemque domum turbaret amaris.
Sic dignum Salomone nihil (3): nos degener implet
Solus Abessalon, lacerans pia viscera ferro.

νεῖαι, κλοπαί, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι. MATTH. XV, 19; SEPTVAG.

(1) *Abessalon*, Ἀβεσσαλώμ, filius regis Davidis.

(2) *Tristibus atque piis variaverat.* Progenies Davidi malis piisque liberis iuxta fuit: Abessalon iniquus, Salomon iustus et sapiens quadantenus. Haec Aligherii nostri versus in mentem revocant, qui leguntur in Divino Poëm. (V. Purg. VII, 121 et seqq.).

(3) *Sic dignum Salomone nihil*, De Salomone Dantes ipse in Divino Poëmate (Parad. X, 112):

.... l'alta mente, u' si profondo
Saver fu messo, che, se il vero è vero,
A veder tanto non surse il secondo.

Si licet ex ethicis quidquam praesumere, vel si
De phisicis exempli aliquid : sic vipera (1), ut aiunt,
Dentibus emoritur fusae per viscera prolis.
Mater morte sua, non sexu, fertilis, aut de
Concubitu distenta uterum ; sed quum calet igni
Percita foemineo, moriturum obscena maritum
Ore sitit patulo; caput inserit ille trilingue
Coniugis in fauces, atque oscula fervidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta, voluptatis vi saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter foedera guttur ;
Infusasque bibit, caro pereunte, salivas.
His pater inlecebris consumitur, at genitricem
Clausa necat soboles : nam postquam semine adulto
Incipiunt calidis corpuscula parva latebris
Serpere, motatumque uterum vibrata ferire,
Aestuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemque gemit damnati conscia sexus,
Progeniem, saepti rumpentem obstacula partus.
Nam, quia nascendi nullus patet exitus, alvus
Fetibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit grex ille dolorum (2),
Ingressum vitae vix eluctatus, et ortum
Per scelus exsculpens. Lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles dum nascitur, orba ;

(1) *Sic vipera, ut aiunt.* Noster de viperis ea tradit, quae in HERODOTO (*Tal.* III, 9), PLINIO MAIORE (X, c. LXII), AELIANO (*Hist. animal.* I, XXXIV), quaeque in ipso S. BERNARDO (Serm. Fer. IV Hebd. Sanctae § VI) legimus. Sed quantum a veritate erraverint veteres de serpentum natura et genesi, nemo omnium ignorat, qui nonnihil in scientia sit versatus, cui a zoologia nomen est factum. Vide sis de hac re Ios. GENÈ ticinensis opus: *Dei Pregiudizi popolari intorno agli animali. Torino, Tip. Ferrero e Franco*, 1853, p. 7 et seqq.

(2) *grex ille dolorum* Dictio sensu tincta.

Haud experta diem, miserae nisi postuma matris.
Non dispar nostrae conceptus mentis : ab ore
Vipereo infusum sic combibit illa venenum
Coniuge Beliade : sic oscula devorat haustu,
Interiusque rapit ; sic felle libidinis ardens
Impletur vitiis, perituro mixta marito.
Tunc praegnans letale genus, concepta maligni
Fert opera ingenii, de semine complicis hydri ;
Quem poenis pensare prius sua facta necesse est
Corruptae pro stupro animae, proque orbe peremto.
Ipsam porro animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperiis, soboles dum parturit ex se
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, et pastos (1) materno funere natos.
Hinc illa est Domini iusta obiurgatio Christi (2) :
Nonne pater daemon, vos increpo peccatores (3),
Concubitu carnis, semen sitientis iniquum
Vos genuit ? Sanctum, lector, percense Volumen (4) :
Quod loquor, invenies Dominum dixisse profanis
Vera obiectantem mortalibus : ex Patre nam vos
Esse meo genitos pietas, ait, ipsa probaret,
Ac pietatis opus. Proh coeca libido ! quid hoc est ?
Quod quum se thalamis desponsam mens bona iustis
Noverit, inque torum Regis (5) nuptura vocetur,

(1) *et pastos... natos.* — Giselin. in margine edit. suae : *et partos.*

(2) *Hinc illa est Domini iusta obiurgatio.* V. Ioan. Evang. VIII, 44.

(3) *Nonne pater....* vers. spond.

(4) *percense Volumen.* Codd. Vatic., — Weitzivs, cum quo Giselin. *percurre ;* — alii *perquire.* Nos retinuimus *percensĕ*, quod verbum hic usurpatur ut tertiae coniugat. Vide Περὶ Στεφ. V, 10, et 60.

(5) *inque torum Regis*, scil. Christi. V. Pavl. ad IX, 2.

Et Regis semper iuvenis, senioque repulso,
Divinum decus aeterno servantis in ore;
Malit adulterium, fulvo (1) et se munere vilem
Vendat nocticolae spurcis complexibus Indi (2),
Aspernata Dei fusam per virginis artus
Progeniem, dulcesque vocans in fornice natos? (3)
Sentio quam contra moveat pellacia litem:
Quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet,
Nosque lacessito vocet ad luctamina vero.
Si non vult Deus esse malum, cur non vetat (4)? [inquit.
Nil refert, auctor fuerit, factorque (5) malorum:
Anne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Quum possit prohibere, sinat? quod si velit omnes
Innocuos agere Omnipotens, nec sancta voluntas
Degeneret, facto nec se manus inquinet ullo.
Condidit ergo malum Dominus, quod spectat ab alto,
Et patitur, fierique probat, tamquam ipse creârit.
Ipse creavit enim, quod quum discludere possit,
Non abolet, longoque sinit grassarier (6) usu.
Damna aures, Pater alme, meas, et claude meatus
Obbrutescentis capitis, ne pervia tales
Concipiat flexura sonos: est perdere tanti
Exstinctum vitae officium de parte cerebri.

(1) *fulvo.... munere:* auro. — GISELIN. *furvo,* sed in margine *fulvo.*

(2) *nocticolae... Indi.* Indi propter oris nigritudinem daemones dicti. V. et supra v. 498, 499.

(3) *vocans in fornice natos.* Intellige: natos in locis impuratis a peccatorum foeditate ad se Deus invitat ac revocat.

(4) *cur non vetat?* Contra Marcionem Lib. XI TERTVLLIANVS huic difficultati occurrit.

(5) *factorque malorum.* Factor est auctor; et codd. mss. Vaticc. lectionem hanc exhibent: alii *fautorque*, quod minus est.

(6) *grassarier:* παραγ.

Immunem modo sese anima, expertemque ne-
[fandi
Auditus, felix stolida conservet ab aure.
Quis ferat haec iniecta Deo convicia? qui se
Divinis meminit praecellere nobilitatum
Muneribus? multa ut taceam, vel sola benignum
Res probat esse Deum, vetiti quod amore perem-
[tos (1)
Excitat e tumulis homines, regnique per aevum
Participes iubet esse sui: qui si foret auctor,
Servatorque mali, numquam post damna salutis,
Peccantumque obitus, redivivam ferre medalam
Vellet, et amissos ope restaurare secunda.
Labi hominis, servare Dei est (2): meritis perit iste:
Ille abolet pereuntis opus, meritumque resolvit.
Argumentum ingens, Dominum, qui talia praestet,
Nolle malum, nec, quod post abluit, ante probare.
Invito ne aliquis potis est peccare Tonante:
Cui facile est in corde hominis componere sensus,
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis
Pulsibus, et totum venis infundere honestum?
Nescis, stulte, tuae vim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescis ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas,
Et super ingenio proprio, laxaeque soluto
Iure voluntatis: liceat cui velle, sequique
Quod placitum, nullique animum subiungere vinclo?
An quum te dominum cunctis quaecumque creârat,
Praeficeret, mundumque tuis servire iuberet
Imperiis; quumque arva, polum, mare, flumina, ventos

(1) *peremtos.* — GISELIN. *peremptos.*

(2) *Labi hominis; servare Dei est.* Ex OSEA hanc optimam sententiam deprompsit noster (XIII, 9); quae equidem consentanea est doctrinae de Praedestinatione et Gratia divina.

Dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
Nollet, ut indigno, libertatemque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset,
Non rex ipse sui, curto foedatus honore?
Nam quis honos domini est, cuius mens libera non est,
Una sed impositae servit sententia legi?
Quae laus porro hominis (1), vel quod meritum, sine certo
Inter utramque viam discrimine vivere iuste?
Non fit sponte bonus, cui non est promta potestas
Velle aliud, flexosque animi convertere sensus.
Atqui nec bonus est, nec conlaudabilis ille,
Qui non sponte bonus : quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.
Nec tamen est virtus, nî deteriora refutans
Emicet, et meliore viam petat indole rectam.
Vade, ait ipse Parens, opifexque et conditor Adae ;
Vade, homo, et adflatu nostri praenobilis oris,
Insubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et iudex mentis propriae : mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subiectio et ipsa soluto
Libera iudicio. Non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo iniustum fugias, iustumque sequaris.
Lux comes est iusti : comes est mors horrida iniqui.
Elige rem vitae, tua virtus (2) temet in aevum
Provehat, aeternum damnet tua culpa vicissim,

(1) *Quae laus porro hominis*. S. Avgvst. *contra Fortunat. Manich.* Disput. II notat : « Liberum arbitrium, si non dedisset Deus, iudicium puniendi nullum iustum esse posset, nec meritum recte faciendi. » Versibus hanc sententiam polivit A. Prosper. « *De Ingratis* », v. 410.

(2) *tua virtus*, sed divina gratia roborata. V. *Apoth.* v. 880.

Praestet et alterutram permissa licentia sortem.
Hac pietate vagus (1), et tanto munere abundans,
Transit propositum fas, et letalia (2) prudens
Eligit: atque volens illud magis utile retur,
Quod, prohibente Deo, persuasit callidus anguis.
Persuasit certe hortatu, non impulit acri
Imperio. Hoc mulier rea criminis exprobranti (3)
Respondit Domino: suadelis se malefabris (4)
Inlectam, suasisse viro: vir et ipse libenter
Consensit. Licuit ne hortantem spernere recti
Libertate animi? Licuit; namque et Deus ante
Suaserat, ut meliora volens sequeretur; at ille
Spernens consilium, saevo plus credidit hosti.
Nunc inter vitae dominum, mortisque magistrum
Consistit medius: vocat hinc Deus, inde tyrannus
Ambiguum, atque suis se motibus alternantem (5).
Accipe gestarum monumenta insignia rerum,
Praelusit quibus historia (6) spectabile signum.
Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia secum
Pignora cara domus properabat, sede relicta,
Nubibus urbicremis (7) subducere, sulphure quum [iam,
Nimboso ignitus caelum subtexeret aër,
Flagrantemque diem crepitans incenderet imber.

(1) *Hac pietate vagus*. Pentemimerem habes, et caesuram longam. V. et 877. — WEITZIVS ex nonnullis Codicibus Vaticc. *hac pietate rigens*.

(2) *prudens Eligit: atque volens*. V. S. AVGVST. *De Civitate Dei*, XIV, c. II.

(3) *exprobranti* vers. spond.

(4) *suadelis malefabris*. Male excogitatis, dolosis. V. *Gen.* III, 14. *Malefaber, abra, brum* appositum est prudentianum.

(5) *Ambiguum* etc. Vers. spond.

(6) *Praelusit quibus historia*. V. *Genes.* XIX, 27.

(7) *Nubibus urbicremis:* quae nubes urbem cremarent, incendio absumerent. *Urbicremus* vox adiect. a Prudentio tantum usurpata.

Angelus hanc hospes legem praescripserat ollis (1),
Emissus virtute Dei sub imagine dupla (2);
Omnis ut e portis iret domus, atque in apertum
Dirigeret constans oculos, nec pone reflexo
Lumine regnantes per moenia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomae, quae mundi forma cremandi [est,
Ut semel e muris gressum promoverit, ore
Post tergum verso, respectet funera rerum.
Loth monitis sapiens obtemperat, at levis uxor
Mobilitate animi (3) torsit muliebre retrorsus
Ingenium, Sodomisque suis revocabilis haesit (4).
Traxerat Eva virum dirae ad consortia culpae:
Haec peccans sibi sola perit, solidata metallo
Diriguit fragili, saxumque liquabile (5) facta.
Stat mulier (6), sicut steterat prius, omnia servans
Caute sigillati longum salis effigiata,
Et decus, et cultum, frontemque, oculosque, comamque,
Et flexam in tergum faciem, paullumque relata
Menta retro, antiquae monumenta (7) rigentia noxae,
Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda;

(1) *ollis:* archaismus pro *illis.*

(2) *sub imagine dupla.* V. *Apoth.* v. 30.

(3) *Mobilitate animi.* Recte de Lothi uxore. Orpheum Virgilianum noster hic in memoriam nobis revocat, Euridicem, contra quam debuerat, respicientem (*Georg.* IV, 490). De mobili feminarum ingenio PETRARCHA « Femmina è cosa mobil per natura ».

(4) *revocabilis.* Satis significans epith.

(5) *liquabile,* fusile. Invenies vocem in Apolog. APVLEI.

(6) *stat mulier.* Utrum aevo prudentiano statua salis illa, in quam, propter vetitam respiciendae Sodomae incensae cupiditatem Lothi uxor fuit conversa, adhuc staret nec ne, rem in medium linquamus. Ceterum adi *Lettres des Juifs à M. de Voltaire à Paris, 1781,* ubi res ad rectas criticae historiae regulas est revocata.

(7) *monumenta.* — GISELIN. *munimenta.*

Sed nulla ex fluido plenae dispendia formae
Sentit deliquio: quantumque armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamque cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix femina sisti,
Infirmum, fluidumque animum per lubrica solvens
Consilia, et fragilis iussa ad caelestia voti.
Propositum contra non commutabile servat
Loth ingressus iter, nec moenia respicit, alto
In cinerem conlapsa rogo, populumque perustum,
Et mores populi, tabularia (1), iura, forumque,
Balnea, propolas meritoria, templa, theatra,
Et circum cum plebe sua, madidasque popinas.
Quidquid agunt homines, Sodomorum incendia iustis
Ignibus involvunt, et, Christo iudice, damnant.
Haec fugisse semel satis est; non respicit ultra
Loth noster; fragilis sed coniux respicit, et, quae
Fugerat, inverso mutabilis ore revisit,
Atque inter patrias perstat durata favillas.
En tibi signatum libertatis documentum:
Quo (2) voluit nos scire Deus, quodcumque sequen-
[dum est,
Sub nostra ditione situm; passimque remissum,
Alterutram calcare viam. Duo cedere iussi
De Sodomis, alter se proripit, altera mussat.
Ille gradum celerat fugiens, contra illa renutat.
Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas.

(1) *tabularia*. Tabularium locus, ubi tabulae litteratae, instrumenta, epistolae actaque publica asservantur: nos diceremus *un archivio*. — *Propolas*. — Προπώλης est dardanarius, qui res minoris emptas maioris utcumque extrudit; nos propolam more nostro diceremus, *un rivendugliolo*, *un rigattiere*. Hic vox est pro loco posita, ubi istiusmodi negotiatores adstant. Prima syllaba producitur, quod Lucilio, aliisque usuvenit.

(2) *Quo voluit*. — GISELIN. in margine: *Quod voluit*.

Dividit huc illuc rapiens sua quemque libido.
Talem multa Sacris speciem notat orbita Libris.
Adspice Ruth (1) gentis Moabitidis, et simul Orphan.
Illa socrum Noemin fido comitatur amore,
Deserit haec: atquin (2) thalamis et lege iugali
Exutae, Hebraeisque toris, sacrisque vacantes,
Iure fruebantur proprio. Sed pristinus Orphae
Fanorum ritus praeputia barbara suasit
Malle, et semiferi stirpem nutrire Goliae (3).
Ruth, dum per stipulas agresti amburitur aestu,
Fulcra Booz meruit, castoque adscita cubili
Christigenam fecunda domum, Davidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus (4).
Saepe egomet (5) memini fratres geminos ad hiulcum
Pervenisse simul bivium, nutante iuventa;
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quonam
Esset iter melius: quum dextrum spinea silva

(1) *Adspice Ruth.* V. RUTH. I.

(2) *atquin.* — GISELIN. *atqui.*

(3) *stirpem nutrire Goliae.* Orpham fuisse Goliae matrem CELLARIVS existimat erui posse ex Iudaeorum fabulis, ad quas licet poëtis tuto adire.

(4) *ortus.* Alii *artus.*

(5) *Saepe egomet* etc. Fabula de Hercule adolescentiore, qui in loco quodam, unde duae viae diverse abirent, inter Virtutem et Voluptatem contentionem habuit, ita placuerat veteribus, ut alii alio modo eam proposuerint. Cebes in Tabula; Max. Tyrius in Dissert. XX; Aristophanes in *Pluto*, qua in comoedia Plutonem divitiarum praesidem Paupertatemque altercantes inducit; Lucianus in *Somno* loquentes facit Artem Statuariam et Eruditionem; S. Gregorius Nazianzenus in Carmine *de Somnis suis* inter se Sanctimoniam et Temperantiam certantes videmus; Clemens autem Alexandrinus in *Stromat.* V hanc fabularem historiam induxit. Nemo autem omnium pulchrius Herculem in bivio haerentem depingit, quam Xenophon ille in L. II, 21 *Memorabil. Socrat.*, ubi Prodici Cei historiam de Hercule in medium ponit; quam non vos pudeat, studiosi tirones, Leopardianis coloribus interpretatum, legere.

Sentibus artaret (1), scrupolosaque semita longe
Duceret aërium clivoso margine callem.
At laevum, nemus umbriferum per amoena vireta
Ditibus ornaret pomis, et lene iacentem
Planicies daret ampla viam; squalentibus unum
Contentum spinis reptasse per ardua saxa:
Porro alium campo sese indulsisse sinistro,
Illum sidereis (2) caput immiscere propinquis,
Hunc in coenosas subito cedisse paludes.
Omnibus una subest natura, sed exitus omnes
Non unus peragit, placitorum segrege forma.
Haud secus, ac si olim (3) per sudum lactea forte
Lapsa columbarum nubes descendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Praetendit, lentoque inlevit vimina visco,
Sparsit et insidias siliquis, vel farre doloso:
Inliciunt alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam tortae retinacula setae,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Ast aliae, quas nullus amor prolectat edendi,
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox ubi iam caelo revolandum, pars petit aethram
Libera sideream, plaudens super aëra pennis;
Pars captiva iacet, laceris et saucia plumis
Pugnat humi, et volucres nequidquam suspicit auras.
Sic animas caeli de fontibus unicoloras (4)
Infundit natura solo; sed suavibus istic

(1) *artaret.* — Gisel. *arctaret.* — *margine callem.* = Gisel. *tramite callem* in margine edit. suae.

(2) *sidereis.* — Gisel. *sideribus.*

(3) *Haud secus, ac si olim* etc. Callidum columborum venatum habes.

(4) *unicoloras. Unicolor, oris*, vox adiect. comm. generis est quidquid unum colorem praesefert. Vox latinissima. Sed *unicolorus, a, um* prudentianum omnino.

Devinctae inlecebris (1) retinentur, et aethera paucae
Conscendunt reduces: multas viscosus inescat
Pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
Praescius inde Pater liventia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aquae furvo suffodit Averno.
Et Phlegethonteo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuis scelerum poenis (2) inolescere vermes.
Nôrat enim flatu ex proprio vegetamen (3) inesse
Corporibus nostris, animamque ex ore perenni
Formatam non posse mori, non posse vicissim
Pollutam vitiis sursum ad convexa reverti
Mersandam penitus puteo ferventis abyssi.
Vermibus et flammis et discruciatibus aevum
Immortale dedit, senio ne poena periret
Non pereunte anima. Carpunt tormenta (4), foventque
Materiam sine fine datam: mors deserit ipsa
Aeternos gemitus, et flentes vivere cogit.
At diversa procul regionibus in Paradisi
Praemia constituit maiestas gnara futuri
Spiritibus puris, et ab omni labe remotis:
Quique Gomorraeas (5) non respexere ruinas:
Aversis sed rite oculis post terga, tenebras

(1) *inlecebris.* — *illecebris* Giselin.

(2) *perpetuis scelerum poenis.* V. Isai., LXVI.

(3) *vegetamen.* Vidimus, in Hamartig. v. 299.

(4) *Carpunt tormenta* etc. Reproborum poena in inferis aeterna in mentem nobis revocat historiam fabularem de Tityo, cuius iecur Iuppiter vulturibus laniandum apposuit hac lege, ut consumptum iterum iterumque renasceretur. Huc respiciant quidam eruditul, qui Vinc. Iobertio philosopho Taurinensi facile adstipulantur, falso docenti reorum tormenta in inferis non esse aeternum duratura. V. Protologia, *Opera postuma edita da Gius. Massari, Vol. II. p.* 668; et alibi.

(5) *Gomorraeas;* — *Gomorrhaeas* Giselin.

Liquerunt miseri properanda pericula (1) mundi.
Ac primum facili referuntur ad astra volatu:
Unde fluens anima structum vegetaverat Adam.
Nam, quia naturam tenuem declivia vitae
Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes;
Concretum celeri relegens secat aëra lapsu,
Exsuperatque polum fervens scintilla remensum,
Carcereos exosa situs, quibus haeserat exsul.
Tunc postliminio (2) redeuntem suscipit alto
Cana Fides gremio, tenerisque oblectat alumnam
Deliciis, multos post diversoria carnis,
Ore renarrantem querulo, quos passa, labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus aeternis spirantes libat odores;
Ambrosiumque bibit roseo de stramine rorem (3).
Ditibus, et longo fumantibus intervallo (4),
Fluminaque, et totos caeli sitientibus imbres,
Implorata negat digitum insertare palato,
Flammarumque apices humenti extinguere tactu.
Nec mirere locis longe distantibus inter
Damnatas iustasque animas concurrere visus

(1) *properanda pericula:* tenebras liquerunt propere fugiendas.

(2) *postliminio.* PAVLVS in *Digest.* XLIX, Tit. 15 de postliminio haec habet: « est ius amissae rei recipiendae ab extraneo, et in statum pristinum restituendae, inter nos ac liberos populos regesque, moribus, legibus constitutum. »

(3) *roseo de stramine.* Vatic. unus m.ss. et GISELINVS *gramine.* Sed *stramine* tenenda lectio; stramen enim idem valet ac stramentum. Hic vero post hunc versum 859 sex consequuntur in vulgatis editt.; quos poteris legere in editione Giseliniana, Parisiis edita an. M.D.LXII; et recipiunt WEITZIVS et CHAMILLARDVS. Eos HEINSIVS e contextu expunxit, utpote qui nihil probabile contineant: immo ordinem orationis prudentianae conturbent.

(4) *Ditibus*... vers. habes spond. — *Implorata negat digitum*... Divitis Epulonis et Lazari mendici parabolam legimus LVC. XVI, 19.

Conspicuos, meritasque vices per magna notari
Intervalla, polus medio quae dividit orbe.
Errat, quisque animas nostrorum fine oculorum
Aestimat; involvit vitreo quos lucida palla
Obiice (1): quîs speculum concreta coagula texunt,
Impediuntque vagas obducto humore fenestras.
Numne animarum oculis denso vegetamine (2) guttae
Volvuntur teretes? aut palpebralibus (3) extra
Horrescunt setis, ciliove umbrante teguntur?
Illis viva acies, nec pupula parva, sed ignis
Traiector nebulae, vasti et penetrator operti est.
Nîl ferrugineum solidumve mentibus (4) obstat,
Nocturnae cedunt nebulae : nigrantia cedunt
Nubila: praetenti cedit (5) teres area mundi.
Nec tantum aërios (6) visu transmittit hiatus
Spiritus , oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines, atque ultima litora Thulae (7)
Transadigit (8), volucresque oculos in Tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores

(1) *Obiice.* syniz., qua duo vocales in unum quasi subsidunt, unamque syllabam faciunt. V. et *Hamart.* infra 877, et 903.

(2) *vegetamine.* V. supra 299.

(3) *palpebralibus... setis.* Oculi ad defensionem vallo pilorum muniuntur. Palpebralis vox adiect. est a Prudentio conficta.

(4) *Nîl ferrugineum solidumvē mentibus obstat.* — Si velis effugere penthemimerem, variam lectionem amplectitor Giselini, quae sic est « *Nîl ferrugineum solidumve tuentibus obstat* ».

(5) *praetenti:* ante extensi, protenti, oppositi.

(6) *Nec tantum aërios* etc. Vim potentiamque animae humanae adverte, quam mirifice depingit noster.

(7) *ultima litora Thulae.* Gisel. *litora Thyles.* De insula, quam omnes veteres ultimam orbis terrarum dixerunt, vide sis Vinc. Lanfranchii *Lexicon Poëtic. totius Linguae Latinae, ex off. Regia* edit. *an.* m.dccc.xc. Hic autem haud abs re erit benignum lectorem animi humani admirabilem naturam virtutesque notare, quam Marcvs Manilivs in *Astronomicor.* Lib. V iam deformaverat.

(8) *transadigit.* — Gisel. *transcurrit.*

Visibus, et coeco delentur tempore formae.
Numquid et exuti membris, ac viscere perdunt
Agnitione notas rerum, vel gressibus errant?
Una animas semper facies habet, et color unus
Aëris, ut cuique est meritorum summa, sinistri,
Seu dextri; alternas nec commutabile tempus (1)
Convertit, variatque vices: longum atque perenne est
Quidquid id est: unus volvit sua saecula cursus.
Expertus dubitas animas percurrere visu
Abdita corporeis oculis; quum saepe quietis
Rore soporatis cernat mens viva remotos,
Distantesque locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens; nec enim se segregat ipsa
Ante obitum vivis ex artubus, aut fugit exsul
Sanguinis, et carnis penetralia, seque medullis
Exuit, abductamve abigit de pectore vitam,
Viscerea sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus: et qua circumtulit acrem
Naturae levis intuitum, nullo obiice (2) rerum
Disclusa, ante oculos subiectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Obiacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin si stelligerum vultus convertat ad axem,
Nîl intercurrens obtutibus, impedit ignem
Pervigilis animae: quamvis denseta (3) graventur
Nubila, et opposito nigrescat vellere caelum.
Sic arcana videt tacitis cooperta futuris, (4)
Corporeus Ioannis (5) adhuc: nec carne solutus,

(1) *alternas nec commutabile tempus.* V. Eccles. XI, 3.

(2) *obiice* — Theol. *obice;* sed *obiice* per syniz. praestat, V. 869.

(3) *denseta.* Densetus, a *denseo, es;* et dicitur quidquid sua natura densus, spissus est: aliud est *densatus* a *densando*, quod ab alio est quasi condensatus.

(4) *futuris.* — Gisel. in marg. *figuris.*

(5) *Ioannis.* V. Καθήμ. VI, 108.

Munere sed somni (1), paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensuque, oculisque peragrans,
Ordine dispositos venturis solibus annos (2)
Procinctum videt angelicum, iam iamque cremandi
Orbis in excidium, raucos et percipit aure
Mugitus gravium mundi sub fine tubarum.
Haec ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis involucris tumulo frigente repôstis?
Certa fides, rapidos (3) sub terna nocte caminos,
Qui pollutam animam per saecula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remoti (4)
Pauperis expositos: nec secius aurea dona
Iustorum dirimente chao (5), rutilasque coronas
Eminus ostendi poenarum carcere mersis.
Hinc Paradisicolae post ulcera dira beato
Proditur infelix, ululans in peste reatus,
Spiritus; inque vicem meritorum mutua cernunt.

(1) *munere sed somni*. Vide in Καθημ. VI, 84 quae annotavimus.

(2) *Ordine dispositos venturis solibus annos*. Qui in Apocalypsis librum studium et operam contulerunt, plerique omnes contendunt ea quae S. Ioannes a cap. IV ad XXI congessit, id temporis spatium complecti, quod ab adventu I. Christi pertingit ad saeculi mundani finem. Sed orationis obscuritas qua divinus hic liber obtegitur, multos in multas aberrationes impulit.

(3) *Certa fides* etc. Dubium non est quin iusti, cum Christo in caelo beatitate potiti, ignem tormentaque cernant quibus vexantur in inferis improbi; quique sanctorum item cumulatum gaudium oculis internoscant. V. Lvc. XVI.

(4) *per inane remoti* — Gisel. *per inane remotis*.

(5) *dirimente chao*. Chaos pro spatio, abysso, vastitate hianti et patenti. Alios vocis intellectus annotavimus in Καθημερ. IX, 81, etc.

— « O Dee (1) cunctiparens, animae dator, o Dee [Christe,
Cuius ab ore Deus subsistit Spiritus unus:
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Iudice te pallens trepido, te iudice eodem
Spem capio, fore, quidquid ago, veniabile (2) apud te,
Quamlibet indignum venia faciamque loquarque.
Confiteor: dimitte libens, et parce fatenti:
Omne malum merui; sed tu bonus arbiter, aufer
Quod merui: meliora favens largire precanti.
Dona animae quandoque meae, quum corporis huius
Liquerit hospitium, nervis, cute, sanguine, felle,
Ossibus exstructum, corrupta quod incola luxu
Heu nimium complexa fovet: quum flebilis hora
Clauserit hos orbes, et conclamata (3) iacebit
Materies, oculisque suis mens nuda fruetur.
Ne cernat (4) truculentum aliquem de gente latronum

(1) *O Dee cunctiparens.* Poëta ad Deum humili et submissa prece conversus carmini de Hamartigenia finem imponit. Adnotare opus non est *Deus* in casu vocandi, non *dee* esse scribendum; sed Prudentium in aestu scribendi populari fortasse consuetudini sese composuisse. — *Cunctiparens*, V. Περὶ Στεφ. XIV, 128.

(2) *Veniabile.* Venia dignum. V. SIDON. IX. Ep. I. et SALVIAN. *adversus Avaros.*

(3) *conclamata... Materies.* Morti debita; quum mihi iam mortuo parentes proximi iam dixerint sollemne illud: conclamatum est! Lucanus Phars. II, 22 corpora conclamata ait ea iacere, in quibus nulla spes vitae restat.

(4) *Ne cernat* etc. Ne quis daemonum maculis me plenum cernens, secum trahat tamquam praedam in inferorum specus. Quae postrema hispani poëtae verba in mentem renovant HIERONYMI VIDAE Cremonensis preces, quas demisso animo Deo Opt. Max. fudit initio hymni primi *De Rebus Divinis*, quum ait:

Quae tua magna quidem in genus indulgentia nostrum est,
Da, Pater, extremae quum vitae advenerit hora,
Te praesente mori, nil me terrentibus umbris,

Immitem, rabidum, vultuque, et voce minaci
Terribilem, qui me maculosum adspergine morum
In praeceps, ut praedo, trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus ad usque
Quadrantem minimum damnosae debita (1) vitae.
Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis: non posco beata
In regione domum; sint illic casta virorum
Agmina, pulvereum quae dedignantia censum
Divitias petiere tuas: sit flore perenni
Candida virginitas, animum castrata recisum!
At mihi Tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avida nec flamma gehennae
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto: cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, aestuque calor languente tepescat:
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent; me poena levis clementer adurat. » —

Inque tuos animam amplexus effundere ovantem:
Hoc tantum mihi, plura aliis optantibus, adde.
V. HIERON. VIDAE Hymn. I *Deo Opt. Max.* v. 76 et seqq.

(1) THEOLIVS, refragante prosodia: *debitae.* — GISELIN. *debita.*

HAMARTIGENIAE FINIS

III

PSYCHOMACHIA

PSYCHOMACHIA[*])

PRAEFATIO

Senex fidelis (1), prima credendi via,
Abram, beati seminis serus pater,
Adiecta cuius nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo.
Senile pignus qui dicavit victimae,
Docens ad aram quum litare quis velit,
Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.

(*) Didacticam opellam, quae in peccati originem inquirit, scilicet *Hamartigeniam* excipit Ψυχομαχία (latine *Animi Pugna*), magnis laudibus Gasparis Barthii in *Adversarior. Lib.* XXI distincta. In hac Prudentius singulare nobis ob oculos certamen per partes offert; suntque I. *Fidei* et *Idololatriae*; — II. *Pudicitiae* et *Libidinis*; — III. *Patientiae* et *Irae*; — IV. *Superbiae* atque *Humilitatis*; — V. *Luxuriae* et *Sobrietatis*; — VI. *Avaritiae* et *Largitatis*; — VII. *Concordiae* et *Discordiae*. In praefatione lectorem christianum vult monitum poëta, si e pugna victor discedere velit, Abrahami vestigiis sibi esse insistendum, de quo in *Geneseos* libro XV legimus: — « Credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam ». — Occasionem nactus hic suis laudibus non defraudabo Ivlianvm Anniballivm polit. litterar. Doctorem, qui Mutinae anno MDCCCLXXII primus Italorum, italicis modis aptavit prudentianam Ψυχομαχίαν. Non equidem omnino centum et octoginta illa octastica, quibus Anniballius Animi Pugnam prudentianam est complexus, iis poëticis luminibus splendent, quibus detineantur morosi lectores; at satis expressum et ad veritatem exornatum poëma nemo negabit. V. « La Psicomachia o la battaglia dell'anima, di M. Aurelio Prudenzio, prima versione italiana, del professore Giuliano Anniballi. Modena, tipi dell'Imm. Concezione, anno MDCCCLXII ».

(1) *Senex fidelis.* Abrahamum, *serum patrem* vocat, quod annos centum natus, filium Isaacum ex sese genuit. Ex Isaaco

Pugnare nosmet (1) cum profanis gentibus
Suasit, suumque suasor exemplum dedit;
Nec ante prolem coniugalem gignere
Deo placentem (2), matre virtute editam,
Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis servientis (3) vicerit.
Victum feroces forte reges coeperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomae et Gomorrhae: quas fovebat advena
Pollens honore patruelis gloriae (4).
Abram, sinistris excitatus nuntiis,
Audit propinquum sorte captum bellica
Servire duris barbarorum vinculis:
Armat trecentos terque senos vernulas,
Pergant ut hostis terga euntis caedere,
Quem gaza dives, ac triumphus nobilis,
Captis tenebat (5) impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit, et, plenus Deo,
Reges superbos, mole praedarum graves

autem, *beato semine*, IESVS CHRISTVS fuit. Abram latine significat *patrem excelsum;* eius autem nomen adspirationem inter duo alpha recepit; Abrahamusque est dictus, ut significaret, eum fore multarum gentium parentem. Vocis penultima apud scriptores christianos anceps habetur, quamquam, si originem hebraicam spectes, esset certe producenda. V. MAZOCHIVM, *Spicil. Bibl.* Tom. I, pag. 83. — *prima credendi via.* — GISELIN. *prima credendi via est.*

(1) *pugnare nosmet.* Abrahamus filium ex Sara uxore suscepit, postquam in quatuor reges congressus, victor domum discesserat. Ad sensum anagogicum hoc Abrahae factum transferens poëta, docet depugnandum esse homini cum vitiis, si victoriam de iisdem laetam consequi aveat.

(2) *Deo placentem.* — *Deo parente* in ora editionis Giselinianae, multisque editt.

(3) *cordis servientis*, plerique. — GISELINVS, aliorumque editt. *cordis saevientis.*

(4) *patruelis gloriae*, Abrahami, patrui sui.

(5) *captis tenebant.* — GISELIN. *captis tenebat.*

Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, et rapinam liberat:
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem (1), buculas,
Loth ipse ruptis expeditus nexibus
Attrita bacis (2) colla liber erigit.
Abram triumphi dissipator hostici
Redit, recepta prole fratris (3) inclitus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis pessimorum possideret principum.
Adhuc recentem caede de tanta virûm
Donat Sacerdos ferculis caelestibus.
Dei Sacerdos (4), rex et idem praepotens,
Origo cuius (5) fonte inenarrabili
Secreta, nullum prodit auctorem sui.
Melchisedech, qua stirpe, quîs maioribus,

(1) *vestem*. Perperam *vestes;* nam « vestis, suppellex, instrumentum, aliaque nonnulla rarius omnino usurpantur in multitudinis numero. » V. Th. Vallavrii *Sulpic. Sever. Hist. Sacr.* I, p. 34, adnot. — *buculas*. Giselin. cui adhaeret Theolius. Nonnulli: *baculas*.

(2) *Attrita bacis colla*. Alii *baccis* geminata ci. V. Περὶ Στεφ. I, 46.

(3) *prole fratris:* intellige Lothum, qui filius fuit Aran, fratris Abrahami.

(4) *Dei Sacerdos*. Melchisedech, Arani filius, qui Christi veluti figura fuit. Uterque enim regem iustitiae, pacisque indicat; uterque stemma non possidet; et Christus patrem in terris minime habuit; Melchisedech tandem et Christus uterque sacerdos et pontifex. V. *Psalm.* CIX, et Ep. Pavll. *ad Hebr.* c. XV. V. Aestivm in c. VII Ep. *ad Hebr.* v. 15. — *ferculis caelestibus:* quae verba Corpus et Sanguinem respiciunt, quae Iesvs, sub obtentu specieque panis et vini in suprema coena suis obtulit. Hac de re V. S. Avgvst. *De Civit. Dei*, XVI, 22.

(5) *Origo cuius* etc. versus 41 et 42 leguntur in omnibus Vaticanis; attamen quia in Pvteano m.ss. desunt, eos Heinsivs uncis inclusit.

Ignotus, uni cognitus tantum Deo.
Mox et triformis Angelorum trinitas
Senis revisit hospitis mapalia (1).
Et iam vietam Sarra in alvum (2) fertilis
Munus iuventae mater exsanguis stupet,
Haerede gaudens, et cachinni (3) poenitens.
Haec ad figuram praenotata est linea,
Quam nostra recto vita resculpat pede:
Vigilandum in armis (4) pectorum fidelium,
Omnemque nostri portionem corporis,
Quae capta foedae serviat libidini,
Domi coactis liberandam viribus (5).
Nos esse large vernularum divites,
Si quid trecenti (6), bis novenis additis,

(1) *mapalia*, seu *magalia*, de quibus Sallustius in *Iugurthino* XXI: « Aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt. »

(2) *vietam... in alvum*. Vietus, proprie mollis, flaccidus; hic autem effetus est. In uno Vatic. *quietam* legimus orae additum, tamquam glossema. — *Sarra*. Scribitur et *Sara* ex LXX Interpret. Ceterum veteres Latini litteras consonantes non geminabant, et *Sara* non repugnat. Eam *exsanguem* vocat ob senectutem.

(3) *cachinni poenitens*. V. Genes. XVIII.

(4) *Vigilandum in armis:* ut enim verissime cecinit Prosper Aqvitanvs in Epigram. XXIV:

Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt;
Et cum quo cērtet mens pia semper habet.

(5) *Domi coactis...... viribus*. Domus pro animi parte penitiore.

(6) *Si quid trecenti*, *bis novenis additis* etc. Ut haec poëtae subobscura verba planiora fiant, ea quae in calce editionis suae noster Theolivs posuit opportune describam. « Omnes ferme patres, tam Graeci, quam Latini in numero hoc 318 vel 300 rotundo, mysterium quaesierunt; ac vel crucem nomenque Iesus, eo significatum fuisse putant, vel Patres trecentum decem et octo in Concilio Nicaeno contra Arium congregatos. Hoc planum est: Dominicam vero Crucem et nomen, quia T graecum habet

Possint, figura noverimus mystica.
Mox ipse Christus, qui Sacerdos verus est (1),
Parente natus alto et ineffabili,
Cibum beatis offerens victoribus (2),
Parvam pudici cordis intrabit casam,
Monstrans honorem Trinitatis hospitae.
Animam deinde spiritus complexibus
Pie maritam, prolis expertem diu,
Faciet perenni fertilem (3) de semine.
Tunc sera dotem (4) possidens puerpera,
Haerede digno Patris implebit domum.

formam crucis, et significat 300; L vero et N *decem* et *octo* exprimunt nomen Iesus, Ἰησοῦς. Vide Cotelerivm et Menardvm in Not. (adnotationibus) ad Barnabae Epistolam. » Hisce praemissis. Prudentii intellectus, si ad mores nostros comparatus fuerit, sic se habebit: nos in vitiorum certamine, quod inimus, satis dites et potentes futuros, si Christi crucem eiusque virtutem et excellentiam noverimus; vel si (quod eodem recidit) eam firmissimam fidem retinuerimus, quam in Arianos ostendit celebre illud Patrum Concilium, quod trecentum octodecim numero constabat.

(1) *qui Sacerdos verus est.* V. *Psalm.* CIX; S. Pavll. ad *Hebr.* 6.

(2) *Cibum.* Ecce nobis SS. Eucharisticas Dapes, quas quoties de altari delibamus, toties Trinitatem in nos ipsos recipimus per *concomitantiam*, uti rerum divinarum magistri tradunt.

(3) *faciet fertilem.* Qui ad Sancti Agni dapes accedunt sciunt quot virtutibus roborentur ad summam vitae sanctitatem retinendam.

(4) *sera dotem.* Dos, a δόω, est quidquid puellae datur in matrimonium collocatae, ad alendos educandosque liberos. Translate animi dotes, virtutes, vitamque beatam et felicem hoc nomine intelligimus. — *sera puerpera prolis* anima dicitur, quae diu virtutum expers, tandem foecunda et exornata est.

PSYCHOMACHIA

Christe, graves (1) hominum semper miserate labores,
Qui patria virtute cluis (2) propriaque, sed una,
(Unum namque Deum colimus de nomine utroque (3):
Non tamen et solum, quia tu Deus ex Patre, Christe)
Dissere Rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat nostri de pectoris antro:
Exoritur quoties turbatis sensibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat,
Quod tunc praesidium pro libertate tuenda,
Quaeve acies furiis inter praecordia mixtis,
Obsistat meliore manu. Nec enim, bone Ductor,
Magnarum virtutum inopes, nervisque carentes
Christicolas vitiis populantibus (4) exposuisti.
Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas (5)
Depugnare iubes: ipse excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
Oppugnanda potens tibi dimicet, et tibi vincat.
Vincendi praesens ratio est, si comminus ipsas
Virtutum facies, et conluctantia contra
Viribus infestis liceat portenta notare.

(1) *Christe, graves* etc. V. VIRG. *Aen.* VI, 56.

(2) *cluis.* Cluo, ĭs, cluĕre archaismus est, pro clueo, es, cluēre. V. *Contra Symmacum*, II, 584.

(3) *De nomine utroque.* GISELINVS et WEITZIVS ediderunt *de nomine trino.* Sed HEINSIVS et CELLARIVS nostram retinent lectionem; namque, uti notat CELLARIVS, de duobus solummodo Personis, non de tribus res est.

(4) *vitiis populantibus*, quae vitia scilicet animam nostram depopulantur. — *depugnare iubes.* V. MATTH. XVI, 24.

(5) *turmas salutiferas.* Turma agmen triginta, vel triginta duorum equitum est. Poëta turmas salutiferas vocat virtutes contra vitia concertantes.

I

FIDEI*) ET IDOLOLATRIAE PVGNA

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu (1),
Nuda humeros, intonsa comas, exserta lacertos,
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Proelia, nec telis meminit, nec tegmine cingi;
Pectore sed fidens, valido, membrisque retectis
Provocat insani frangenda pericula belli.
Ecce lacessentem conlatis viribus audet
Prima ferire Fidem veterum cultura deorum.
Illa (2) hostile caput, phalerataque tempora vittis
Altior insurgens labefactat, et ora, cruore
De pecudum satiata, solo adplicat, et pede calcat
Elisos in mortem oculos, animamque malignam
Fracta intercepti commercia gutturis artant,
Difficilemque obitum suspiria longa (3) fatigant.
Exsultat victrix legio, quam mille coactam
Martyribus regina Fides animârat in hostem:
Tunc fortes socios parta pro laude coronat
Floribus, ardentique iubet vestirier ostro (4).

* *Fidei.* Primam nobis hic offert poëta concertationem, quae est inter Fidem « humanae salutis initium, fundamentum ». (Vide Concil. Trident. § VI, c. 8) et Idololatriam, Εἰδωλολατρείαν seu idolorum cultum.

(1) *agresti turbida cultu.* Turbida, seu anxia; quod evenire consuevit statim in primo pugnae congressu. — *agresti cultu*, simplici cultu et inornato.

(2) *illa.* Scil. *Fides.*

(3) *suspiria longa.* Multa saecula effluxerunt, multumque et acriter pugnatum est antequam Fides de falsorum numinum cultu triumphum deportaret.

(4) *ardentique ostro.* Ostrum, ardens color est, qui oculos in se facile convertit, conspicuus: nos *colore vivissimo.* Hoc sensu

II

PVDICITIAE ET LIBIDINIS PVGNA

Exin gramineo in campo concurrere promta
Virgo Pudicitia (1) speciosis fulget in armis:
Quam patrias succincta faces (2) Sodomita (3) libido
Adgreditur, piceamque ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundaque lumina flammis
Adpetit, et taetro tentat suffundere fumo;
Sed dextram furiae flagrantis, et ignea dirae
Tela lupae (4) saxo ferit imperterrita virgo,
Excussasque sacro taedas depellit ab ore.
Tunc exarmatae iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores,
Sanguine concretos coenoso: spiritus inde
Sordidus exhalans vicinas polluit auras.
— « Hoc habet (5), exclamat victrix regina: supremus

Ivvenal. *Sat.* XI, 156 purpuram ardentem dixit: Val. Flacc. I, 427; Mart. Epigr. V, 20 flammantem; Hor. *Sat.* II, 6 candentem. — *vestirier*, παραγωγή.

(1) *virgo Pudicitia.* De quantitate vocis: *pudicitia*, cuius ultima producitur, V. Περὶ Στεφ. VII, 59, in adnot.

(2) *Patrias succincta faces.* Poëta Libidini, haud aliter ac Furiae faces tribuit, quas *patrias* nominat, quod essent bitumine sulphureo tinctae lacus illius, qui prope Sodomam conspicitur, cuique nomen *asphaltitis* obvenit.

(3) *Sodomita libido. Sodomita* vox adiect. pro *sodomitica.* Usurpavit noster Περὶ Στεφ. V, 195. V. Vinc. Lanfranchii *Lexicon Poët. totius Linguae Latinae.*

(4) *lupae:* libidinis, quae meretrici mulieri comparatur.

(5) *Hoc habet.* — *Hoc tibi habe.* Gisel. in ora marginis: in contextu vero *Hoc habet.* In gladiatorio munere victor, dum adver-

Hic tibi finis erit, semper prostrata iacebis;
Nec iam mortiferas audebis spargere flammas
In famulos famulasve Dei: quibus intima casti
Vena animi sola fervet de lampade Christi.
Tene, o venatrix (1) hominum, potuisse resumtis
Viribus exstincti capitis (2) recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum cervix Holophernis
Caesa, cupidineo madefactum sanguine lavit,
Gemmantemque torum (3) moechi ducis aspera Iudith
Sprevit, et incestos compescuit ense furores,
Famosum mulier referens ex hoste tropaeum,
Non trepidante manu vindex mea coelitus (4) audax.
At fortasse (5) parum fortis matrona sub umbra
Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat,
Vera quibus virtus (6) terrena in corpora fluxit,

sarium feriret, magna voce ad contemptum « *hoc habet!* » exclamare consueverat. Nos diceremus: *ha il fatto suo.* V. DONAT. *ad Terent. Andr.* I, 1, 56; VIRG. *Aen.* XII, 296. LIPS. l. 11 Saturn. c. 21.

(1) *tene, o venatrix.* Alii, *vexatrix;* sed videtur officinatoris librarii σφάλμα τὸ *vexatrix.* — *potuisse,* ἔλλειψ. et subauditur *decuit.* V. VIRG. *Aen.* I, 37.

(2) *exstincti capitis.* Postquam Iudith caput Holofernis decussit, tu videbaris pariter cum rege impurissimo extincta; nunc vero quonam modo reviviscis, pristinasque vires resumis? Male GISELIN: *cervix Holoperni.*

(3) *gemmantemque torum.* — *Gemmatumque torum* Weitziani codd. m.ss.; et quinque Vaticani; quibus adstipulatur VICT. GISELINVS.

(4) *coelitus,* graece οὐρανόθεν. V. Περὶ Στεφ. XIII, 10.

(5) *at fortasse.* Sed, nisi mea me fallit opinio, hoc evenit, quod Iudith sub legis umbra Legis veteris pugnaret, nondum Legis novae gratia roborata.

(6) *vera virtus.* Ante Redemptoris Dei adventum, mortales poenae formidine, non amore iustitiae ad agendum ducebantur; quapropter viri germana virtute praediti enituerunt post Iesum

Grande per infirmos caput excisura ministros,
Numquid et intactae post partum Virginis ullum
Fas tibi iam superest? post partum Virginis, ex quo
Corporis humani naturam pristina origo
Deseruit, carnemque novam via ardua sevit,
Atque innupta Deum concepit femina Christum,
Mortali de matre (1) hominem, sed cum Patre numen.
Inde omnis iam diva caro est quae concipit illum
Naturamque Dei consorti foedere sumit:
Verbum quippe caro factum, non destitit esse,
Quod fuerat, Verbum, carnis dum glutinat usum,
Maiestate quidem non degenerante per usum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet quod semper erat, quod non erat, esse
Incipiens; nos, quod fuimus, iam non sumus, aucti
Nascendo in melius: mihi contulit, et sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad caelestia vexit.
Dona haec sunt, quod victa iaces, lutulenta Libido,
Nec mea post Mariam potis es perfringere iura.
Tu princeps ad mortis iter, tu ianua leti
Corpora commaculans, animas in Tartara mergis.
Abde caput tristi iam frigida pestis abysso:
Occide, prostibulum (2): manes pete, claudere Averno;
Inque tenebrosum noctis detrudere fundum.
Te volvant subter vada flammea, te vada nigra,
Sulphureusque rotet per stagna sonantia vortex.

Christum terris ostensum et cultum. Vide S. AVGVST. Lib. III *Contra duas Epistolas Pelagianor.* cap. IV. — *terrena in corpora. Terreno in corpore* nonnulli Vaticani codices.

(1) *mortali de matre...* Praestat Sermonem adire Sancti LEONIS MAGNI, " *De Christi Nativitate.* "

(2) *prostibulum*, seu prosedam poëta Libidinem, ad contumeliam, vocat.

Nec iam Christicolas, furiarum maxima, tentes,
Ut purgata suo serventur corpora Regi. » —
Dixerat haec (1), et laeta Libidinis interfectae
Morte Pudicitia (2) gladium Iordanis in undis
Abluit infectum: sanies cui rore rubenti
Haeserat, et nitidum maculârat vulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
Victricem victrix, abolens baptismate labem
Hostilis iuguli: nec iam contenta piatum
Condere vaginae gladium (3), ne tecta rubigo
Occupet ablutum scabrosa sorde nitorem,
Catholico in templo (4) divini fontis ad aram
Consecrat, aeterna splendens ubi luce coruscet.

III

PATIENTIAE ET IRAE CONGRESSVS

Ecce modesta gravi stabat Patientia, vultu
Per medias immota acies, variosque tumultus,
Vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis
Spectabat defixa oculos (5), et lenta manebat.

(1) *Dixerat haec* etc. versus spondaicus.

(2) *Morte Pudicitiā:* hic pentemimerem habes cum caesura longa. V. *Apoth.* 833: Ψυχομαχ. 41, 445, 481, etc.

(3) *vaginae gladium.* Gisel. *vagina.* Sed casus dandi est in codd. m.ss. Heinsio teste (ad Ovid. *Metam.* IX, 362).

(4) *Catholico in templo.., Consecrat.* In templo Deo sacro suspendit, tamquam donarium. Sic David in Domini tabernaculo gladium reposuit, quo Goliae caput exciderat. V. *Reg.* I, xxI, 9. Vel ipsi populi veteribus superstitionibus imbuti arma, vexillaque militaria in Deorum templis suspendere moris habebant. V. Horat. *Lyricor.* III, V, 18. *Ep.* I, 1, 4.

(5) *defixa oculos.* pro defixis oculis, ἑλληνισμός.

Hanc procul Ira, tumens spumanti fervida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Ut belli exsortem (1), teloque et voce lacessit,
Impatiensque morae conto petit, increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
— « En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
Excipe mortiferum securo pectore (2) ferrum:
Nec doleas quia turpe (3) tibi gemuisse dolorem.» —
Sic ait, et stridens sequitur convicia pinus
Per teneros crispata Notos, et certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectoque inliditur ictu;
Sed resilit duro loricae excussa repulsu.
Provida nam Virtus conserto adamante trilicem (4)
Induerat thoraca humeris, squamosaque ferri
Texta per intortos commiserat undique nervos.
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
Telorum nimbos, et non penetrabile (5) durans.
Nec mota est iaculo monstri sine more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus Iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, et iaculorum
Nube supervacuam lassaverat irrita dextram,
Quum ventosa levi cecidissent tela volatu,
Iactibus et vacuis hastilia fracta iacerent:
Vertitur ad capulum manus improba, et ense corusco
Connisa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.
Aerea sed cassis, cocto formata metallo,

(1) *belli exsortem*, rudem agminum, pugnandique nesciam.
(2) *securo pectore*, non sollicito, non anxio pectore.
(3) *quia turpe tibi*. Haec εἰρωνεικῶς dicta puta.
(4) *trilicem*. V. Virg. *Aen*. III, 467.
(5) *non penetrabile:* adverb., non penetrabilis. V. Καθημ. II, 33.

Tinnitum percussa refert, aciemque retundit
Dura resultantem: frangit quoque vena rebellis (1)
Inlisum chalybem, dum cedere nescia cassos
Excipit adsultus, ferienti et tuta resistit.
Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas;
Iam capulum retinente manu sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisque pudendi
Perfida signa abiicit, monumentaque tristitia longe
Spernit, et ad proprium succenditur effera letum.
Missile de multis, quae frustra sparserat, unum
Pulvere de campi perversos sumit in usus;
Rasile figit humi lignum (2), ac se cuspide versa
Perfodit, et calido pulmonem vulnere transit.
Quam super adsistens Patientia: — « vicimus, inquit,
Exsultans vitium, solita virtute, sine ullo
Sanguinis ac vitae discrimine: lex habet istud
Nostra genus belli, furias omnemque malorum
Militiam, et rabidas tolerando exstinguere vires.
Ipsa sibi est hostis vesania (3), seque furendo
Interimit, moriturque suis ira ignea telis ». —
Haec effata secat medias impune cohortes
Egregio comitata viro: nam proximus Iöb
Haeserat invictae dura inter bella magistrae,
Fronte severus adhuc, et multo vulnere anhelus (4):
Sed iam clausa truci subridens ulcera vultu,

(1) *vena rebellis.* Aes terrae e venis effossum, resistens, quia bene fabricatum.

(2) *rasile... lignum.* Lignum dolatum, levigatum.

(3) *ipsa sibi est hostis vesania.* Quare e mente nunquam nostra illud excidat ECCLESIAST. I, 28: « Iracundia animositatis illius, subversio illius est. »

(4) *vulnere anhelus.* Unus e codicc. Vaticc., et HEINSIVS *funere.* Sed omnes codices, editionesque nostram lectionem habent.

Perque cicatricum numerum sudata recensens
Milia (1) pugnarum, sua praemia, dedecus hostis.
Illum diva iubet tandem requiescere ab omni
Armorum strepitu, captis et perdita quaeque
Multiplicare opibus, nec iam peritura referre.
Ipsa globos legionum, et concurrentia rumpit
Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres,
Omnibus una comes virtutibus adsociatur,
Auxiliumque suum fortis Patientia (2) miscet.
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
Virtus (3); et vidua est, quam non Patientia firmat.

IV

SVPERBIAE ET HVMILITATIS*) PVGNA

Forte per effusas inflata Superbia turmas
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, et validos villis oneraverat armos:

(1) *Milia pugnarum.* — Giselin. *militia.* V. C. Cellarivm « Orthogr. Lat. »

(2) *fortis Patientia.* Curnam fortis?

« . . . quippe minuti
« Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
« Ultio. » — Ivvenal. *Sat.* XIII, 159. V. Senec. *De Ira*, III. 16, 1.

(3) *Virtus; et vidua est.*—Giselin. « *Virtus nam vidua est* ».

* Humilitas proprie situs est terrae humo vicinus. Transfertur ad generis ignobilitatem, ad fortunarum angustiam, ad potentiae inopiam; tum ad animi demissionem, ad animum pusillum, quae res superbiae contraria est. Hinc Christianae sapientiae scriptores hac voce usi sunt ad denotandam illam animi virtutem, quae superbiae vitio omnino opponitur. V. Lactant. V, 15: Svlpitii Severi *Vitam S. Martini*, etc.; nosque in quotidiano sermone virum modestum, qui humiliter ac demisse de se sentiat, quique submissius se gerat appellare consuevimus italice *una persona umile.*

Quo se fulta iubis iactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu.
Turritum tortis caput accumulârat in altum
Crinibus, exstructos augeret ut addita cirros (1)
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.
Carbasea (2) ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum;
A cervice fluens tenui velamine limbus
Concipit ingestas (3) textis turgentibus auras.
Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frenarier ora lupatis (4).
Huc illuc frendens obvertit terga, negata
Libertate fugae, pressisque tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago,
Inter utramque aciem supereminet, et phaleratum
Circumflectit equum, vultuque et voce minatur,
Adversum (5) spectans cuneum: quem milite raro,
Et paupertinis (6) ad bella coëgerat armis
Mens humilis: regina quidem, sed egens alieni
Auxilii, proprio nec sat confisa paratu (7).

(1) *cirros*. Cirrus capillus dicitur natura crispus, aut contortus; et differt a *cincinno*, qui est arte crispatus.

(2) *carbasea*, ex lino tenuissimo et albo intexta.

(3) *ingestas*, inmissas. Vatic. unus olim *infestas*; at ibi aliena manus *ingestas* superinduxit.

(4) *lupatis*. *Lupatum, i*, n., et *lupatus, i*, m. frenum significat asperius, ita dictum a dentibus lupinis, qui inaequales sunt. V. Serv. ad Virgil. *Geor*. III, 208.

(5) *Aversum* Theol. noster; sed nos Gisel. sequimur excribentem *adversum*.

(6) *paupertinis*: vox, quam usurparunt Nonivs, Gellivs grammatici, aliique sequioris latinitatis scriptores, pro eo quod est pauper, pauperculus, modicus, tenuis.

(7) *Proprio, nec sat confisa paratu*. Namque Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν ἀφ᾽ ἑαυτῶν λογίσασθαί τι ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ... Pavll. *Ad Corinth*. II, III, 5. et V. *ad Gal*. VI, 3.

Spem sibi collegam coniunxerat (1), edita cuius
Et suspensa ab humo est opulentia divite regno.
Ergo humilem postquam malesana Superbia mentem
Vilibus instructam nullo ostentamine (2) telis
Adspicit, in vocem dictis se effundit amaris:
— « Non pudet, o miseri, plebeio milite claros
Attentare duces, ferroque lacessere gentem
Insignem titulis: veteres cui bellica virtus
Divitias peperit, laetos et gramine colles
Imperio calcare dedit? nunc advena nudus
Nititur antiquos, si fas est, pellere reges.
En, qui nostra suis in praedam cedere dextris
Sceptra volunt? en qui nostras sulcare novales,
Arvaque capta manu popularier (3) hospite aratro
Contendunt, duros et pellere Marte colonos?
Nempe, o ridiculum vulgus, natalibus horis (4)
Totum hominem, et calidos a matre amplectimur artus,
Vîmque potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, et rudibus dominamur in ossibus omnes.
Quis locus in nostra tunc (5) vobis sede dabatur,
Congenitis cum regna simul ditionibus aequo
Robore crescebant? nati nam luce sub una
Et domus, et domini paribus adolevimus annis.
Ex quo plasma novum de consaepto paradisi

(1) *Spem sibi... coniunxerat.* Optime quidem; etenim animo qui sit demisso, neque tamen spei pleno, pusillus cito, et abiecti cordis esse consuevit.

(2) *Ostentamine*, pro *ostentatione*. Prudentiana vox.

(3) *popularier*. παραγωγή.

(4) *natalibus horis*. Libenter ex Nebrissensi hunc intellectum cum Theolio facimus: — « Ego Superbia sic meos milites exerceo, ut ab ineunte vita ad rerum dominium adsuefaciam; quae ceteris dominandi cupiditas in ipsis infantibus manifestatur »; eamque *vim potestatum* etc. appellat noster poëta. —

(5) *tunc*. Intellige in ipso orbis terrarum exordio. Adamus magna superbia tactus Dei imperium neglexit, eiusque iura pervertit.

Limite progrediens amplum transfugit in orbem,
Pellitosque (1) habitus sumsit venerabilis Adam;
Nudus adhuc, nî nostra foret praecepta secutus.
Quis nam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
Importunus, iners, infelix, degener, amens,
Qui sibi tam serum ius vindicat, hactenus exsul?
Nimirum vacuae credentur frivola (2) famae,
Quae miseros optare iubet quandoque futuri
Spem fortasse boni, lenta ut solatia mollem
Desidiam pigro rerum meditamine (3) palpent.
Quidni illos spes palpet iners, quos pulvere in isto
Tirones Bellona truci non excitat aere,
Imbellesque animos virtus tepefacta resolvit?
Anne pudicitiae gelidum iecur (4) utile bello est?
An tenerum pietatis opus (5) sudatur in armis?
Quam pudet, o Mavors, et virtus conscia, talem
Contra stare aciem, ferroque lacessere nugas,
Et cum virgineis dextram conferre choreis!
Iustitia est, ubi semper egens et pauper Honestas (6):

(1) *pellitosque:* veste pellibus consuta membra sua contexit.

(2) *nimirum vacuae credentur* etc. Bonos modestosque mortales Superbia ludibrio habet, qui certa spe tenentur, fore ut Deus quandoque omnibus prosperis rebus illos fortunet.

(3) *meditamine,* meditatione. Occurrit vox apud SIL. ITAL. *Punicor.* VIII, 326.

(4) *gelidum iecur.* Vide Καθημ. III, 190, ubi *iecur incolume* legimus.

(5) *An tenerum pietatis opus...* Strenuos fortesque eos milites esse, qui in Deum pietatem excolunt, nos aperte docet historia Thebeae Legionis, qui III saeculo Christiano sub Maximiniano Herculeo ad alpes Penninas, duce S. Mauritio, meruerunt.

(6) *Iustitia est, ubi semper egens et pauper Honestas.* Qui iustum honestumque sequuntur, paupertate perpetua conflictantur. Hinc IVVENAL. *Sat.* I, 73 « probitas laudatur et alget. » Et PERSIVS, *Sat.* V, 137: « Regustatum digito terebrare salinum

Avida (1) Sobrietas, albo ieiunia vultu,
Sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperta
Simplicitas, et ad omne patens sine tegmine vulnus,
Et prostrata in humum, nec libera iudice sese
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.
Faxo ego, sub pedibus stipularum more teratur
Invalida ista manus; neque enim perfringere duris
Dignamur gladiis, algenti et sanguine ferrum
Imbuere, fragilique viros foedare triumpho. » —
Talia vociferans rapidum calcaribus urguet (2)
Cornipedem (3), laxisque volat temeraria frenis,
Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
Sternere, deiectamque supercalare ruinam.
Sed cadit in foveam praeceps, quam callida forte
Fraus interciso suffoderat aequore (4) furtim:
Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
Fallendi versuta opifex, quae praescia belli
Planiciem scrobibus vitiaverat (5) insidiosis,
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset

Contentus perages, si vivere cum Iove tendis. » Haec saepe iterabant qui verae religionis sapientiam ignorarent.

(1) *avida Sobrietas.* GISEL. *arida*, quam lect. Theolianae praetulerim.

(2) *urguet. Urgeo.* et *urgueo* promiscue in m.ss. leguntur, et posterior lectio etiam frequentius occurrit. Cfr. Καθημ. X, 60. De ratione scribendi V. CHRISTOH. CELLARII, *Ortograph. Latinam* Patavii an. M.DCC.XXXIX.

(3) *Cornipedem.* Cornipes epith. dicitur de equo et capra corneis pedibus instructis. Absolute pro equo occurrit. V. SIL. ITAL. VII, 684; CLAVDIAN. *Fescenn. In nuptiis Honorii Augusti et Mariae* v. 11.

(4) *aequore*, in aequata agri planicie.

(5) *vitiaverat.* HEINSII codex; sed Weitziani et Vaticani omnes *violaverat.*

Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
Et superimposito simulârat cespite campum.
At regina humilis, quamvis ignara, manebat
Ulteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foveae calcârat (1) furta malignae.
Hunc eques illa dolum, dum fertur praepete cursu,
Incidit, et coecum subito patefecit hiatum :
Prona ruentis equi cervice involvitur, ac sub
Pectoris impressu fracta inter crura rotatur.
At Virtus placidi moderaminis, ut levitatem
Prospicit obtritam monstri sub morte iacentis,
Intendit gressum mediocriter, os quoque parce
Erigit, et comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti Spes fida comes succurrit, et offert
Ultorem gladium, laudisque inspirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hostem
Protrahit, et faciem laeva revocante supinat.
Tunc caput orantis flexa cervice resectum
Eripit, ac madido suspendit colla capillo.
Exstinctum vitium sancto Spes increpat ore :
— « Desine grande loqui (2) : frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
Pervulgata viget nostri sententia Christi :
Scandere celsa humiles, et ad ima redire feroces (3).
Vidimus horrendum membris, animisque Goliam

(1) *foveae... furta :* foveas per fraudem paratas et tectas.

(2) *Desine grande loqui.* Qui de se nimis alta sentiunt et loquuntur eos dicimus graece μεγαλοφρονεῖν. Huiusmodi mortales superbi esse consueverunt.

(3) *Scandere celsa humiles...* V. Luc. XIV, 11.

Invalida cecidisse manu: puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore (1) lapillum,
Traiectamque cavo penetravit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet (2),
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,
Expertus, pueri quid possint ludicra parvi,
Succubuit teneris bellator turbidus annis.
Me tunc ille puer virtutis pube secutus,
Florentes animos sursum in mea regna tetendit.
Servatur qua certa mihi domus omnipotentis
Sub pedibus Domini, meque ad sublime vocantem
Victores caesa culparum labe capessunt. » —
Dixit, et auratis praestringens aëra pennis
In caelum se virgo rapit: mirantur euntem
Virtutes, tolluntque animos in vota, volentes
Ire simul, nî bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis, seque ad sua praemia servant.

V

LUXVRIAE*) ET SOBRIETATIS PVGNA

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria, exstinctae iamdudum prodiga famae,

(1) *fundali stridore.* Fundalis, ad fundam pertinens, appositum est perpetuum et omnino Prudentianum. Quidam legunt *funali;* sed prior lectio est in plerisque codd. Vaticc.; eamque descripserunt Heinsivs et Weitzivs.

(2) *formidabile fervet.* Formidabile adverbial.; ita fervet, ut formidinem concutiat. Sic Stativs in *Theb.* VIII, 582: « formidabile ridens. »

* Luxuria, ae, aut luxuries, ei nimiam indicat germinum ubertatem et redundantiam; et transfertur ad nimis multam earum

Delibuta comas (1), oculos vaga, languida vocem,
Perdita deliciis, vitae cui caussa voluptas,
Elumbem mollire animum, petulanter amoenas
Haurire inlecebras, et fractos solvere sensus.
Ac tunc pervigilem ructabat marcida coenam,
Sub lucem quia forte iacens ad fercula raucos
Audierat lituos, atque inde tepentia linquens
Pocula, lapsanti per vina et balsama gressu
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi species! non ales arundo
Nervo pulsa (2) fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur;
Sed violas lasciva iacit, foliisque rosarum
Dimicat, et calathos inimica per agmina fundit.
Inde, eblanditis virtutibus, halitus illex (3)
Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum,
Et male dulcis odor domat ora, et pectora, et arma,
Ferratosque toros (4) obliso robore mulcet.
Deiiciunt animos, ceu victi, et spicula ponunt

rerum abundantiam, quae ad victum cultumque mortalium pertinent; qua ex abundantia mollis et delicata hominum vita exstare consuevit; namque ob nimis delicatam et mollem vivendi rationem mores facile corrumpuntur. Hinc luxuria apud scriptores christianos, vox est detorta ad faedissimum omnium vitium significandum.

(1) *delibuta comas:* ἑλληνισμός.

(2) *nervo pulsa.* Omnes codd. m.ss. — Cellarius *impulsa* praetulit, memor fortasse illius Virgilianae Aeneidos: « nervo per nubem impulsa sagitta. » (XII, 856).

(3) *halitus illex.* Illex, icis m. et f. avis dicitur, quae in aucupiis caeteras inlicit. Nos: *augello di richiamo, che serveci di logoro.* Adiective vim habet inliciendi. V. Apul. *Apol.*, et nostrum *Contra Symmach.* II, 6.

(4) *ferratosque toros:* duros, rigidos.

Turpiter: heu! dextris languentibus obstupefacti,
Dum currum varia gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis (1) crepitantia lora,
Et solido ex auro pretiosi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus, et radiorum,
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri (2) pallentis continet orbe.
Et iam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuriae servire volens, dominaeque fluentis
Iura pati, et laxa ganearum lege teneri.
Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus,
Sobrietas dextro socios decedere cornu,
Invictamque manum quondam sine caede perire.
Vexillum sublime Crucis, quod in agmine primo
Dux bona praetulerat, defixa cuspide sistit,
Instauratque levem dictis mordacibus alam,
Exstimulans animos nunc probris, nunc prece mixta:
— « Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quae vincula tandem,
Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis,
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas!
His placet adsuetas bello iam tradere palmas

(1) *bracteolis*. Bracteola, a bractea, est parva tenuisque lamina ex metallo, aliave materia, quae alicui rei superinducitur. Videtur vox a graeco βράχειν derivata, quod bracteam si manu contrectes, aut si eam ventus decutiat , plicatur et quemdam crepitum edit. V. Virg. *Aen.* VI, 209.

(2) *Electri*. Electrum metallum facticium, quod quinta argenti parte auro permixta, conflatur. Si otium tibi fuerit adi ad Plin. Maior. H. N. XXXIII, 423; et Isidorvm, XVI *Origin.* 24. De pellucido hoc metallo Virgil. *Geor.* III, 522 loquitur; et *Aen.* VIII, 402, 626.

Nexibus? his rigidas nodis innectier (1) ulnas?
Ut mitra caesariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum (2)!
Post inscripta Oleo frontis signacula (3), per quae
Unguentum regale datum est, et Chrisma perenne (4);
Ut tener incessus vestigia syrmate (5) verrat,
Sericaque infractis fluitent ut pallia membris:
Post immortalem tunicam quam pollice docto
Texuit alma Fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci.
Inde ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
Despuit effusi spumantia damna falerni
In mensam cyathis stillantibus; uda ubi multo
Fulcra mero, veterique toreumata rore rigantur.
Excidit ergo animis eremi (6) sitis, excidit ille
Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
Elicuit, scissi salientem vertice saxi?
Angelicusve cibus (7) prima in tentoria vestris
Fluxit avis, quem nunc sero felicior aevo
Vespertinus edit populus de corpore Christi?

(1) *innectier:* παραγωγή.

(2) *infusum... nardum*, m. Duo codd. m.ss. Vaticc. *infusam*, f.; sed vox utroque genere gaudet; estque hebraica נֵרְדְּ (nerd).

(3) *inscripta Oleo frontis signacula.* Oleo Sancto in fronte signato: quod et nos videmus fieri quum Pontifex almo Chrismate inungit ephebos in Fide Christiana confirmandos. V. Bellarminvm, *Controv.* T. III, p. 311.

(4) *perenne.* Etenim S. Confirmationis Sacramentum animis nostris signum infigit indelebile, sive *perenne* uti ait noster poetice.

(5) *syrmate.* Syrma mos vestis fuit penes orientales populos oblongae, fluxae, pone laciniam trahens, quam induebant molliores et delicatuli illi homines, quos Plavtvs per deridiculum *venerios nepotulos* nuncupavit (Mil. Glor. V, 20, etc.).

(6) *eremi*, secunda vocis syllaba licenter breviatur, ut in Dyptic. XII.

(7) *angelicusve cibus.* Intellige Manna. V. Exod. XVI.

His vos imbutos dapibus (1) iam crapula turpis
Luxuriae ad madidum rapit importuna lupanar?
Quosque viros non ira fremens, idolaque bello (2)
Cedere compulerant, saltatrix ebria flexit?
State, precor, vestri memores, memores quoque Christi.
Quae sit vestra tribus, quae gloria, quis Deus, et rex,
Quis dominus meminisse decet. Vos nobile, Iudae
Germen ad usque Dei genitricem, qua Deus ipse
Esset homo, procerum venistis sanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima David
Gloria, continuis bellorum exercita curis.
Excitet et Samuel, spolium qui divite ab hoste
Attrectare vetat, nec victum vivere regem
Incircumcisum patitur, ne praeda superstes
Victorem placidum recidiva in proelia poscat,
Parcere iam capto crimen putat ille tyranno:
At vobis contra vinci et succumbere votum est.
Poeniteat, per (3), si qua movet reverentia summi
Numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi; si poenitet, haud nocet error.
Poenituit Ionatham ieiunia sobria dulci
Conviolasse favo sceptri, mellisque sapore
Heu male gustato, regni dum blanda voluptas
Oblectat iuvenem, iurataque sacra (4) resolvit.
Sed quia poenituit; nec sors lacrimabilis illa (5) est,

(1) *His vos imbutos dapibus* etc. Adverte in hoc loco mentionem de SS. Sacramento, quam annotavimus Περὶ Στεφάνων, XI, 174.

(2) *non idola bello.* Theol.; sed in Gesilianae editionis ora legitur: — *Aldi: « idolaque »* quam germanam puto lectionem.

(3) *per, si qua movet reverentia....* Verborum ordo, de industria perturbatus, in mentem nobis locum revocat *Aeneid.* II, 142.

(4) *iurataque sacra.* Quae Saul pater iuramento voverat. V. Reg. I, xxiv, 24.

(5) *illa est* Theol. — *ulla est* Gisel.

Nec tinguit (1) patrias sententia saeva secures.
En ego Sobrietas, si conspirare paratis,
Pando viam cunctis virtutibus, ut malesuada
Luxuries, multo stipata satellite, poenas
Cum legione sua Christo sub iudice pendat. » —
Sic effata, Crucem Domini ferventibus offert
Obvia quadriugis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos: quod ut expavere feroces
Cornibus oppansis (2) et summa fronte coruscum,
Vertunt praecipitem coeca formidine fusi
Per praerupta fugam: fertur resupina reductis
Nequidquam loris auriga, comamque madentem
Pulvere foedat humi (3). Tunc et vertigo rotarum
Implicat excussam dominam; nam prona sub axem
Labitur, et lacero tardat sufflamine (4) currum.
Addit Sobrietas vulnus letale iacenti,
Coniiciens silicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferae, quoniam sors obtulit, ictum
Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti,
Casus agit saxum, medii spiramen ut oris
Frangeret, et recavo misceret labra palato,
Dentibus introrsum resolutis, lingua resectam
Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet.
Insolitis dapibus crudescit guttur, et ossa
Conliquefacta vorans removit, quas hauserat, offas.
Ebibe iam proprium post pocula multa cruorem,

(1) *Nec tinguit.* Ita Giselin., uti = *urguet* noster in Cathem. X, 60.

(2) *cornibus oppansis.* Giselin. habet: *cornibus expansis.* Duobus crucis brachiis, quae extenduntur.

(3) *pulvere foedat humi.* Heins. legit: *pulvere faedatur.*

(4) *lacero... sufflamine.* Sufflamen est ferreum instrumentum in soleae modum formatum, quo subter unius rotae canthum supposito, currus in loco declivio currens cohibetur, ne praeceps eat. Hinc verbum sufflamino, as. quod nos diceremus italice *metter le scarpe ad un carro.* V. Ivven. *Sat.* VIII, 148.

Virgo ait increpitans: sint haec tibi fercula tandem
Tristia praeteriti nimiis pro dulcibus aevi.
Lascivas vitae inlecebras gustatus amarae
Mortis, et horrifico sapor ultimus asperat haustu.
Caede ducis dispersa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies. Iocus et Petulantia primi
Cymbala proiiciunt: bellum nam talibus armis
Ludebant, resono meditantes vulnera sistro.
Dat tergum fugitivus Amor: lita tela veneno,
Et lapsum ex humeris arcum, pharetramque cadentem
Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
Pompa (1), ostentatrix vani splendoris, inani
Exuitur nudata peplo: discissa trahuntur
Serta Venustatis, collique ac verticis aurum
Solvitur, et gemmas Discordia dissona turbat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire Voluptatem; quoniam vis maior acerbam
Compellit tolerare fugam: formido perîcli
Praedurat teneras iter ad cruciabile (2) plantas.
Qua se cumque fugax trepidis fert cursibus agmen,
Damna iacent, crinalis acus (3), redimicula, vittae,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
Hic se Sobrietas, et totus Sobrietatis
Abstinet exuviis miles, damnataque castis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte severos
Connivente oculos praedarum ad gaudia flectit.

(1) *pompa*, comites luxuriae.

(2) *Cruciabile:* cruciatum afferens. Videtur serioris latinitatis epitheton. Nos vulgo dicimus: iter acerbum, scrupeum, intollerandum.

(3) *crinalis acus*, *redimicula* etc. More nostro*: gli aghi da testa*, *i nastri*, *le bende*, *il fermaglio*, *il velo fiammeggiante*, *la fascia del petto*, *il diadema*, *il monile;* quae omnia ad mundum muliebrem pertinent.

VI

AVARITIAE ET LARGITATIS PVGNA

Fertur Avaritia gremio praecincta capaci,
Quidquid luxus edax pretiosum liquerat, unca
Corripuisse manu, pulchra in ludibria vasto
Ore inhians (1), aurique legens fragmenta caduci
Inter arenarum (2) cumulos; nec sufficit amplos
Implevisse sinus, iuvat infarcire crumenis
Turpe lucrum, et gravidos furtis distendere fiscos (3),
Quos laeva celante tegit, laterisque sinistri
Velat oprimento; velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisque ungues exercet aënos.
Cura, famis (4), metus, anxietas, periuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,

(1) *Ore inhians*. Dictio a belluis transfertur, quae ore aperto cibum appetunt. Plavtvs de avaro: « Ille homo tuam haereditatem inhiat, quasi esuriens lupus. » (*Stich*. IV, 2, 25). Et in *Aulularia*, II, 2, 17: « inhiat aurum, ut devoret. » — *fragmenta*. Heinsivs putat fortasse *ramenta* legendum esse; etenim aurum nondum excoctum in fluvialis arenae ramentis legitur saepenumero; et avarus intentissima cura rimatur, si quid pretiosi metalli ex ramentis illis coacervare possit, igneque probare.

(2) *Inter arenarum cumulos*... Noster Virgilio, Horatio Valerio Flacco etc. fretus vox *arena* pluraliter usurpavit; quamquam C. Caesar in libro suo De Analogia (apud. Gell. XIX, 8) numero multitudinis negat eam vocem uti licere latine scribentibus.

(3) *fiscos*. Fisci corbes erant viminea in quibus veteres Romani pecuniam publicam et imperatoriam reconderent; quare metaphorice vox illa pro vi quadam pecuniae. V. Phaedr. *Fab*. II, 7.

(4) *famis* pro *fames*, V. infra ad v. 479. — Cura, Fames, Metus, etc. sunt divitiarum ipsae comites apud Ivvenal. In Sat. XIV, 302 et seqq.

Eumenides (1) variae monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Avaritiae nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis (2)
Germanus vidit commilito: non timet ensem
Exserere, atque caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius exstinctum belli sub sorte cadaver
Adspexit si forte patris, fulgentia bullis
Cingula, et exuvias gaudet rapuisse cruentas:
Cognatam civilis agit discordia praedam,
Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatque suos famis impia (3) natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Avaritia (4), sternens centena virorum
Millia vulneribus variis: hunc lumine ademto,
Effossisque oculis velut in caligine noctis
Coecum errare sinit, perque offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porro alium capit intuitu, fallitque videntem,
Insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisque sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos praecipitans in aperta incendia cogit,

(1) *Eumenides:* Furiae. De quibus VIRG. *Aen.* XII, 336.

(2) *fulvis radiare ceraunis.* Subaudi gemmis. Haec gemma, *ceraunia* dicta, fulvum colorem praesefert et fulgentem, instar fulminis, quod graece est ὁ κεραυνὸς; eam idcirco SIDONIVS in Panegyrico ad Maioran. fulminis lapidem appellat.

(3) *famis impia*, pro *fames*, ut infra 508. Sed *famis* in casu recto usurpatur a VARRONE, *De Re Rustica*, L. V, a. med. De amore insatiato habendi V. Ovid. (*Fast.* 1, 216 ubi de siti Tantalea).

(4) *Orbis avaritiā.* Pentemimeren adnota in hoc versu; et vide Περὶ Στεφ. VII, 60, adnot. I. — Infra vers. 674.

Nec patitur vitare focos, quibus aestuat aurum,
Quod (1) petit arsurus pariter speculator avarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu, neque est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus aevum
Mundani involvat populi, damnetque gehennae.
Quin ipsos tentare manu (si credere dignum est)
Ausa Sacerdotes Domini (2), qui praelia forte
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnoque implebant classica flatu.
Et fors (3) innocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens (4), gentis Levitidis una
Semper fida comes, clypeum obiectasset, et atrae
Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni
Immunes, fortesque animi: vix in cute summa
Praestringens paucos tenui de vulnere laedit
Cuspis Avaritiae. Stupuit luis (5) improba castis
Heroum iugulis longe sua tela repelli.
Ingemit, et dictis ardens furialibus infit:
— « Vincimur heu segnes, nec nostra potentia perfert
Vim solitam, languet violentia saeva nocendi,
Sueverat invictis quae viribus omnia ubique
Rumpere corda hominum; nec enim tam ferrea quem-[quam
Formavit natura virum, cuius rigor aera

(1) *Quod petit arsurus.* — Ita cum Theolio descripsit Giselinus. Alii: *quae petit.*

(2) *Ausa sacerdotes Domini.* Divitiarum aviditas vel ipsos sacerdotes pertentat.

(3) *fors,* adverbialiter pro forsan, forsitan.

(4) *Ni ratio armipotens.* Ratio, sed catholica doctrina imbuta.

(5) *luis* pro *lues.* V. *Hamartig.* 250; et alibi Prudentius ubi huius vocis oxitum in *es* et *is* ultro usurpavit.

Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis (1) auro.
Ingenium omne neci dedimus: tenera, apera, dura,
Docta, indocta simul, bruta et sapientia, nec non
Casta, incesta meae patuerunt pectora dextrae.
Sola igitur rapui quidquid Styx abdit avaris (2)
Gurgitibus: nobis ditissima Tartara debent,
Quos retinent, populos; quod volvunt saecula (3), nostrum est:
Quod miscet mundus vesana negotia, nostrum.
Quî fit, praevalidas quod pollens gloria vires
Deserit, et cassos ludit fortuna lacertos?
Sordet Christicolis (4) rutilantis fulva monetae
Effigies, sordent argenti emblemata (5): et omnis
Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? nonne triumphum
Egimus e Scarioth (6)? magnus qui discipulorum,

(1) *impenetrabilis*, transl. inexsuperabilis, inexpugnabilis.

(2) *Sola igitur rapui quidquid Styx* etc. Quae verba Ovidianos versus in memoriam nobis reducunt, qui in *Metam.* I 138 et seqq. leguntur:

« . . . itum est in viscera terrae,
» Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
» Effodiuntur opes irritamenta malorum;
» Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
» Prodierat: prodit bellum etc. »

(3) *quod volvunt saecula.* Saecula, id est genus hominum, in quo pecuniae cupiditas, seu φιλαργυρία, omnia potest. V. Pavll. ad *Timoth.* I, VI, 10.

(4) *Sordet Christicolis.* Vel a primis catholici nominis temporibus aurum, opes, honores nihil pensi mortales ad sapientiam christianam traductos habuisse, historia luculenter ostendit. V. *Act. Apostol.* IV, 32.

(5) *argenti emblemata.* Intellige vasa argento caelata, et perfecta.

(6) *e Scarioth*, e Iuda videlicet illo, qui Scarioth, vel Kerioth fuit appellatus, quia in urbe cognomine ortum duxerat haud procul a vetusta Gomorrha. — *magnus qui discipulorum.* Magnus pro maior; uti Virg. *Aen.* IV, 576; vel potius Ennivs, sicuti

Et conviva Dei, dum fallit foedere mensae
Haudquaquam ignarum, dextramque parapside (1) iungit,
Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum (2) de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus iugera collo (3).
Viderat et Iericho propria inter funera, quantum
Posset nostra manus, quum victor concidit Achar (4),
Caedibus insignis, murali et strage superbus,
Succubuit capto victis ex hostibus auro:
Dum vetitis insigne legens anathema (5) favillis,
Moesta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
Non illum generosa tribus, non plebis avitae
Iuvit Iuda parens (6), Christo quandoque propinquo
Nobilis, et tali felix patriarcha nepote.
Quîs placet exemplum generis, placeat quoque forma
Exitii: sit poena eadem, quibus et genus unum est.
Quid moror aut Iudae populares (7), aut populares

notat Servivs ad illa: « sequimur te, sancte Deorum. » — Weitzivs legit: *summus*, aitque Iudam ita dictum putat a Prudentio εἰρωνεικῶς.

(1) *parapside.* — *paropside.* Giselin. De vocis scriptura vide Περὶ Στεφ. Praef. 18.

(2) *Infamem mercatus est agrum.* Merito *infamem;* quippe, uti narrat Math. XXVII, 8, hebraice fuit *haceldama* cognominatus, quod idem valet ac *ager sanguinis.* At quanam de causa poëta ait *mercatus est*, dum scimus non Iudam Scarioth, sed sacerdotum principes agrum illum infamem revera mercatos fuisse? Vide sis *Act. Apostol.* I, 14, 18, ubi enarratores.

(3) *obliso collo:* eliso, suffocato, fracto. V. Tacit. *Ann.* V, 9.

(4) *concidit Achar.* V. Iosve, VII.

(5) *insigne... anathema.* Latinis litteris noster ἀνάθημα scripsit. Vide Devteron. VII, 2, 26; Iosve, VI.

(6) *Iuda parens.* Achar, e tribu Iuda; pluribus de causis ceteris longe insignis.

(7) *populares:* popularis, ad populum pertinens; quia eius-

Sacricolae summi (summus nam fertur Aäron)
Fallere fraude aliqua, Martis congressibus impar?
Nîl refert, armis contingat palma dolisve (1). » —
Dixerat et torvam faciem, furialiaque arma
Exuit, inque habitum sese transformat honestum;
Fit virtus specie (2), vultuque et veste severa,
Quam memorant frugi, parce cui vivere cordi est,
Et servare suum; tamquam nîl raptet avare,
Artis adumbratae meruit, ceu sedula, laudem.
Huius se specie mendax Bellona coaptat.
Non ut avara lues, sed virtus parca putetur;
Nec non et tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguinos, ut candida palla latentem
Dissimulet rabiem, diroque obtenta furori,
Quod rapere et clepere (3) est, avideque abscondere [parta
Natorum curam dulci sub nomine iactet.
Talibus inludens male credula corda virorum
Fallit imaginibus, monstrumque ferale sequuntur:
Dum credunt virtutis opus, capit impia Erinnys
Consensu faciles, manicisque tenacibus artat.
Attonitis ducibus, perturbatisque manîplis
Nutabat virtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,

dem est populi, tribulis, municeps, civis; non autem *concivis*, uti perperam plures scribunt.

(1) *Nîl refert*, *armis*, etc. Poëta Ferrariensis statim in ingressu Libri XXV poematis sui Milesii de *Orlando*, ait:

Fu il vincer sempre mai laudabil cosa;
Vincasi per fortuna o per ingegno.

(2) *Fit virtus specie*. IVVENAL.: « Fallit enim vitium specie virtutis et umbra etc. » Vide *Sat.* XIV, 109 et seqq. — *veste severa*. Mss. praestantiores et GISELIN. — HEINSIVS *vultuque et voce*.

(3) *clepere*, arch. (a graeco κλέπτειν) est surripere, clam furari. PLAVTINVS versus in *Pseud.* I, 2, 6 contritus est omnibus: « Ubi data occasio est, rape, clepe, tene harpaga. »

Quidve hostile notet: letum, versatile, et anceps
Lubricat incertos dubia sub imagine visus.
Quum subito in medium frendens Operatio (1) campum
Prosilit auxilio sociis, pugnamque capessit
Militiae postrema gradu, sed sola duello
Impositura manum, ne quid iam triste supersit.
Omne onus ex humeris reiecerat, omnibus ibat
Nudata induviis, multo et se fasce levârat,
Olim divitiis, gravibusque oppressa talentis,
Libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
Foverat, effundens patrium bene prodiga censum.
Iam loculos ditata Fide spectabat inanes,
Aeternam numerans redituro foenore summam.
Horruit invictae Virtutis fulmen, et impos
Mentis Avaritia stupefactis sensibus haesit,
Certa mori (2). Nam quae fraudis via restet, ut ipsa
Calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
Inlecebris, spretoque iterum sese implicet auro?
Invadit trepidam Virtus fortissima duris
Ulnarum nodis: obliso et gutture frangit
Exsanguem siccamque gulam: compressa ligantur
Vincla lacertorum sub mentum, et faucibus artis
Extorquent animam, nullo quae vulnere rapta
Palpitat, atque, aditu spiraminis intercepto (3),
Inclusam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibusque et calcibus instans

(1) *Operatio:* proprie actus operandi, opus, labor. V. Plin. Mai. H. N. XI, 18, 19. Sed scriptores ecclesiastici talem vocem usurpant ad opus denotandum misericordiae, in inopes benignum animum et prolixum. Igitur avaritiae istiusmodi operatio magno opere inimica est.

(2) *Certa mori.* A cerno est certus qui decrevit iam, minimeque in re peragenda haeret. Hinc dictio illa : « certum obstinatumque, vel deliberatum est », cum verbo infiniti temporis. Nos Itali : *ho risoluto, ho fermo, determinato di...*

(3) *Palpitat* etc. vers. spond.

Perfodit et costas, atque ilia rumpit anhela;
Mox spolia exuto (1) de corpore diripit, auri
Sordida frusta rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem. Tineis etiam marsupia crebris
Exesa, et virides obducta aerugine nummos
Dispergit servata diu, victrix et egenis
Dissipat, ac tenues captivo munere donat.
Tunc circumfusam vultu exsultante coronam
Respiciens, alacris media inter milia (2) clamat:
— « Solvite procinctum (3), iusti, et discedite ab armis,
Caussa mali tanti iacet interfecta: lucrandi
Ingluvie (4) pereunte, licet requiescere sanctis.
Summa quies, nîl velle super, quam postulet usus (5)
Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una
Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus,
Expletumque modum naturae non trahat extra.
Ingressurus iter peram ne tollito, neve
De tunicae alterius gestamine providus ito (6);
Nec te sollicitet res crastina (7), ne cibus alvo
Defuerit: redeunt escae cum sole diurnae.
Nonne vides ut nulla avium cras cogitet? ac se

(1) *exuto de corpore.* Gisel. aliique *extincto de corpore.*

(2) *media inter milia.* Vox *mile*, et plurali numero *milia*, una tantum lambda saepissime scripta, legitur in veteribus codd. m.ss. Vide supra v. 168; et Cellarii *Ortograph. Lat.*

(3) *Solvite procinctum.* Procinctus militaris dicitur apparatus, quo se milites ad pugnam instruunt. Noster *Hamartig.* 916: « procinctum videt angelum. » V. et *Contra Symmach.* II, 512.

(4) *Ingluvie.* Giselin. in margine tamen editt. suae: *illuvie.*

(5) *Summa quies* etc. Auream Prudentii sententiam in mente scribendam habes; quam plus semel Horativs suis in Epistolis inculcat. Nos tutius ad S. Pavlli I Epist. 6, 8 *Ad Timotheum* lectores nostros delegabimus.

(6) *providus esto.* Giselin. qui nihilominus in ora editt. suae Parisinae scripsit: *providus ito.*

(7) *res crastina.* V. Matth. VI.

Pascendam, praestante Deo, non anxia credat?
Confidunt volucres victum non defore, viles,
Passeribusque subest modico venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem,
Ne pereant. Tu cura Dei, facies quoque Christi,
Addubitas (1), ne te tuus umquam deserat auctor?
Ne trepidate, homines (2) : vitae dator et dator escae est.
Quaerite luciferum caelesti dogmate pastum,
Qui spem multiplicans alat inviolabilis (3) aevi,
Corporis immemores : memor est, qui condidit illud,
Suppeditare cibos, atque indiga membra fovere.» —
His dictis curae emotae, metus, et labor, et vis,
Et scelus, et placitae Fidei fraus inficiatrix
Depulsae vertêre solum. Pax inde fugatis
Hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis
Terror, et avulsis exfibulat ilia (4) zonis.
Vestis ad usque pedes descendens defluit imos,
Temperat et rapidum privata modestia gressum.
Cornicinum (5) curva aera silent, placabilis implet
Vaginam gladius, sedata et pulvere campi
Suda redit facies, liquidae sine nube diei
Purpuream videas caeli clarescere lucem.
Agmina casta super vultum sensere Tonantis
Adridere hilares pulso certamine turmae,
Et Christum gaudere suis victoribus, arcem

(1) *Addubitas.* — GISEL. *An dubitas.*

(2) *Ne trepidate, homines.* V. IVVENAL. *Sat.* X, 347, et seqq.

(3) *inviolabilis.* In ora edit. suae GISELIN. *insatiabilis.* — Nonnulli, a germana latinitate recedentes, *invitiabilis* legere pergunt.

(4) *exfibulat,* diffibulat, fibula solvit. Videtur verbum Prudentianum.

(5) *Cornicinum.* Cornicen, est qui in militia cornu canit.

Aetheris, ac patrium famulis aperire profundum (1).
Dat signum felix Concordia, reddere castris
Victrices aquilas (2), atque in tentoria cogi.
Numquam tanta fuit species, nec par decus ulli
Militiae, quum dispositis bifida agmina longe
Duceret ordinibus, peditum psallente caterva;
Ast alia de parte equitum resonantibus hymnis
Non aliter cecinit respectans victor hiantem
Israël rabiem ponti post terga minacis,
Quum iam progrediens calcaret (3) litora sicco
Ulteriora pede, stridensque per extima calcis
Mons rueret pendentis aquae, nigrosque relapso
Gurgite Nilicolas (4) fundo deprênderet imo,
Ac refluente sinu iam redderet unda natatum
Piscibus, et nudas praeceps operiret arenas.
Pulsavit resono modulantia tympana plectro
Turba Dei, celebrans mirum ac memorabile saeclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus incisis et subsistente procella
Crescere, suspensosque globos potuisse teneri.
Sic expugnata vitiorum gente, resultant
Mystica dulcimodis (5) virtutum carmina psalmis.
Ventum erat ad fauces portae Castrensis (6), ubi [artum

(1) *patrium profundum:* caelum patrium. Nescio quanam de causa Cellarivs τὸ *patrium* in *portum* converterit, eamque eius lectionem antea sit amplexus Giselinvs, refragantibus omnibus codd. mss.

(2) *Victrices aquilas,* id est vexilla, milites victores.

(3) *Quum iam progrediens,* V. Exod. XV.

(4) *Nilicolas*, qui ad Nilum incolerent, Aegyptios. V. *Contra Symm.* II, 493.

(5) *Mystica dulcimodis... carmina.* Ex Hebraico Th. Calvsivs noster; postea vero Nicolavs Tommasevs nobilem hunc hymnum italicis modis aptarunt.

(6) *portae Castrensis.* In castris romanis quattuor portae

Liminis introitum bifori dant cardine claustra.
Nascitur hîc inopina mali lacrimabilis astu
Tempestas, placidae turbatrix invida Pacis,
Quae tantum subita vexaret clade triumphum.

VII

CONCORDIAE ET DISCORDIAE PVGNA

Inter confertos cuneos Concordia forte
Dum stipata pedem iam tutis moenibus infert,
Excipit occultum vitii latitantis (1) ab ictu
Mucronem laevo in latere (2), squalentia quamvis
Texta catenato ferri subtêmine corpus
Ambirent, sutis et acumen vulneris hamis
Respuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum sinerent penetrare in viscera telum.
Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
Commissura dedit, qua sese extrema politae
Squama ligat tunicae, sinus et sibi conserit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola victae
Partis, et incautis victoribus insidiata est.
Nam, pulsa culparum acie, Discordia nostros
Intrârat cuneos, sociam mentita figuram.
Scissa procul palla (3), structum et serpente flagellum

numerabantur, quarum 1ª Praetoria hosti plerumque obversa; 2ª Decumana ab hoste aversa; 3ª et 4ª a lateribus duae portae patebant, quae principales dicebantur. Hic sermo est de Principe, ubi eius praetorium erigebatur; unde praetor recta contra hostes exibat. V. Nievport, *Rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, succinta explicatio*. Sectio V, cap. V.

(1) *vitii latitantis*. Discordiae.

(2) *Mucronem laevo in laterĕ....* Ultimam vocis *latere* habemus longam, ideoque versus recipit eptemimeren.

(3) *scissa palla*. Discordiae descriptionem poteris legere in *Aeneidos* Virgilianae VIII, 702; et Petronii, *Satyric*. 124.

Multiplici, media camporum in strage iacebant
Ipsa redimitos olea frondente capillos
Ostentans, festis respondet laeta choreis.
Sed sicam sub veste tegit, te, maxima Virtus,
Te solam tanto e numero, Concordia, tristi
Fraude petens. Sed non vitalia rumpere sacri
Corporis est licitum, summo tenus extima tactu
Laesa cutis tenuem signavit sanguine rivum.
Exclamat Virtus subito turbata: — « quid hoc
[est?
Quae manus hîc inimica latet? quae prospera nostra
Vulnerat, et ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid iuvat indomitos bello sedasse furores,
Et sanctum vitiis pereuntibus omne receptum,
Si Virtus sub pace cadit? » — Trepida agmina moe-
[stos
Convertere oculos: stillabat vulneris index
Ferrata de veste cruor, mox et pavor hostem
Comminus adstantem prodit: nam pallor in ore,
Conscius audacis facti, dat signa reatus:
Et deprensa tremunt languens manus, et color al-
[bens.
Circumstat propere strictis mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens fervente tumultu
Et genus, et nomen, patriam, sectamque, deumque
Quem colat, et missu cuiatis venerit. Illa
Exsanguis, turbante metu: — « Discordia dicor,
Cognomento Heresis (1); Deus est mihi discolor, inquit.
Nunc minor, aut maior: modo duplex, et modo sim-
[plex:

(1) *Cognomento Haeresis.* Haeresis, ab αἱρέω, eligo, latine est electio, opinio; apud Christianos tamen est opinio catholicae doctrinae contraria: uti haeresis Ariana, Eutichiana, etc. — *Deus est mihi discolor,* propter diversos colores differens est mihi et dissimilis Deus.

Quum placet, aërius, et de phantasmate visus,
Aut innata anima est: quoties volo ludere numen,
Praeceptor Belia mihi; domus et plaga mundus. » —
Non tulit ulterius capti blasphemia monstri
Virtutum regina Fides: sed verba loquentis
Impedit, et vocis claudit spiramina pilo,
Pollutam rigida transfigens cuspide linguam.
Carpitur innumeris feralis bestia dextris.
Frustatim (1) sibi quisque rapit quod spargat in auras
Quod canibus donet, corvis quod edacibus ultro
Offerat, immundis caeno exhalante cloacis
Quod tradat, monstris quod mandet habere marinis.
Discissum foedis animalibus omne cadaver
Dividitur: ruptis Heresis perit horrida membris.
Compositis igitur rerum morumque secundis
In commune bonis (2), postquam intra tuta morari
Contigit, ac statione frui, valloque foveri
Pacificos sensus, et in otia solvere curas;
Exstruitur media castrorum sede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam: subiecta unde omnia late
Liber inoffenso circuminspicit (3) aëre visus.
Hunc sincera Fides, simul et Concordiá, sacro
Foedere iuratae Christi sub amore sorores,
Conscendunt apicem: mox et sublime tribunal
Par sanctum carumque sibi supereminet aequo
Iure potestatis: consistunt aggere summo

(1) *Frustatim:* per frusta, membratim. Occurrit adverb. in PLINIO MAIORI H. N. XX, 9, 39; et apud NON. II, 335.

(2) *In commune bonis* etc. Locum hic habemus, quem a versu 728 ad 730 alii alio modo describunt. Nos a THEOLIO et HEINSIO minime recessimus, et hic HEINSIVM sequutus est GISELINVS in editione Parisina.

(3) *circuminspicit.* Ita codd. m.ss. Vide et nostrum in *Apoth.* 492. — GISEL. *circúmspicit.*

Conspicuae, populosque iubent adstare frequentes.
Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes:
Nulla latet pars mentis iners (1), quae corporis ullo
Intercepta sinu per conceptacula sese
Degeneri languore tegat; tentoria apertis
Cuncta patent velis, reserantur carbasa, nequis
Marceat obscuro stertens habitator operto.
Auribus intentis exspectant concio, quidnam
Victores post bella vocet Concordia princeps,
Quam velit atque Fides virtutibus addere legem.
Erumpit prima in vocem Concordia tali
Adloquio: — « Cumulata quidem iam gloria vobis,
O Patris, o Domini fidissima pignora Christi,
Contigit: exstincta est multo certamine saeva
Barbaries (2), sanctae quae circumsaepserat urbis
Indigenas, ferroque viros, flammaque premebat.
Publica sed requies (3) privatis rure foroque
Constat amicitiis: scissura domestica turbat
Rem populi, titubatque foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete, viri, ne sit sententia discors
Sensibus in nostris, ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis, quia fissa (4) voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris.
Quod sapimus, coniungat amor: quod vivimus, uno
Conspiret studio: nîl dissociabile firmum est;
Utque homini atque Deo medius intervenit Iesvs,

(1) *Nulla latet pars mentis iners:* totis nempe mentis viribus. — *Conceptacula*, apud optimos Italos scriptores vidi: « *i ricettacoli, i ventricoli della mente e del cuore* ». In A. Gellio (XVIII, 10), Plinioque Mai. (*Hist. Nat.* II, 45, 45) reperitur vox conceptaculum pro eo quod est, quidquid aliquid continet.

(2) *saeva Barbaries.* Magnus vitiorum exercitus, de quo supra.

(3) *Publica sed requies*, etc. Cfr. Sallvst. *Bell. Iugurt.* 10.

(4) *fissa voluntas.* — *Scissa voluntas.* Giselinvs.

Qui sociat mortale Patri, ne carnea distent
Spiritui Aeterno, sitque ut Deus unus utrumque;
Sic, quidquid gerimus mentisque et corporis actu,
Spiritus unimodis (1) texat compagibus unus,
Pax (2), planum virtutis opus: pax summa laborum:
Pax belli exacti pretium est, pretiumque periculi.
Sidera pace vigent; consistunt terrea pace.
Nil placitum sine pace Deo: non munus ad aram
Quum cupias offerre (3), probet, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro;
Nec, si flammicolis Christi pro nomine Martyr
Ignibus insilias, servans inamabile votum
Bile sub obliqua, pretiosam proderit Iesv
Impendisse animam; meriti quia clausula pax est.
Non inflata tumet, non invidet aemula fratri:
Numquam laesa dolet, cuncta offensacula donat.
Occasum lucis (4) venia precurrere gestit,
Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis,
Offerat in primis pacem: nulla hostia Christo
Dulcior: hoc solo sancta ad donaria vultum
Munere convertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen et niveis tradit Deus ipse columbis
Pinnatum tenera plumarum veste colubrum (5)

(1) *unimodis*, unius modi, seu formae. Vocem adiectivam isusurpavit Apvl. in *Dogm. Platon.*

(2) *Pax. plenum virtutis opus.* Et pacem, vocem notat esse istiusmodi S. Antoninvs Florentinor. Archiepiscopus. quae tribus litteris conflетur; sintque P, A, X, a quibus tria nomina incipiunt SSmae Trinitatis; scilicet Pater, Amor, Christus.

(3) *Quum cupias offerre.* V. Matth. V, 23.

(4) *Occasum lucis.* V. S. Pavl. *Ad Ephes.* IV, 26.

(5) *Pinnatum... colubrum.* Ut columbis candidis adsimilantur Christiani, ita *colubris pinnatis* daemones, quique eos sequuntur.

Rimante ingenio docte internoscere, mixtum
Innocuis avibus: latet et lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ovem sub vellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac sese occultant Photinus (1), et Arrius arte,
Immanes feritate lupi: discrimina produnt
Nostra, recensque cruor, quamvis de corpore summo,
Quid possit furtiva manus ». — Gemitum dedit omnis
Virtutum populus, casu concussus acerbo (2).
Tum generosa Fides haec subdidit: — « immo secundis
In rebus cesset gemitus. Concordia laesa est,
Sed defensa Fide (3); quin et Concordia sospes
Germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
Haec mea sola salus, nihil hac mihi triste recepta.
Unum opus egregio restat post bella labori (4),
O proceres, regni quod tandem pacifer heres (5)

(1) *Photinus.* Sirmii episcopus fuit apud Galatas, a quo Photiniani, qui Ebionitarum haeresin instaurantes, docuerunt IESVM CHRISTVM hominem merum fuisse, atque solummodo ante Mariam Virginem, tamquam Deum extitisse. Vide sis VINCENT. LIRINENSEM, *Commonitor.* § 17.

(2) *casu concussus acerbo.* Hemistichium Virgilian., ex *Aen.* V, 700.

(3) *defensa Fide.* ALDVS, NEBRISSENS., GISELINVS. — *defensa Fides,* CELLARIVS, aliquot codd. m. scriptos secutus.

(4) *egregio... labori.* WEITZIVS et duo codd. mss. Vaticc. *egregium.* – *unum opus... restat.* Salomon, aut Solomon, templum Hierosolymis egregio opere extructum ab inchoato inaedificavit; quisque item nostrum templum in se ipso et altare purissimum extruere decet; quod PARINIVS pernobili Foebo Abduensi puero in mentem revocare non dubitavit: « *É duopo, Achille, alzare Nell'alma il primo altare* » *(L'Educazione al giovane Febo d'Adda).*

(5) *pacifer haeres.* Scil. Salomon, quod nomen latine *pacificus* sonat.

Belligeri, armatae successor inermus et aulae
Instituit Solomon (1); quoniam genitoris anheli
Fumârat calido regum de sanguine dextra.
Sanguine nam terso, templum fundatur, et ara
Ponitur auratis Christi domus ardua tectis.
Tunc Hierusalem (2) templo inlustrata, quietum
Suscepit iam diva (3) Deum; circumvaga postquam
Sedit marmoreis fundata altaribus Arca.
Surgat et in nostris templum venerabile castris:
Omnipotens cuius sanctorum sancta revisat.
Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalangas
Culparum prodest, hominis si Filius (4) arce
Aetheris inlapsus, purgati corporis urbem
Intret inornatam, templi splendentis egenus?
Hactenus alternis sudatum est comminus armis:
Munia nunc agitet tacitae toga candida pacis,
Atque sacris sedem properet discincta iuventus. » —
Haec ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
Desiliit, tantique operis Concordia consors
Metatura novum (5), iacto fundamine, templum:
Aurea planitiem spatiis percurrit arundo
Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
Ne commissuris distantibus angulus impar

(1) *Solomon*. Ita LACTANT. passim. Noster *Salomone* Hamartig. 577, et alibi.

(2) *Hierusalem*. Omnes codd. mss., uno excepto, qui *Ierusales* (!) scriptum habet, et descripsit HEINSIVS.

(3) *iam diva*. Pura, sancta urbs propter Numinis praesentiam.

(4) *hominis si Filius*. IESVS CHRISTVS, qui domum vult nostram a vitiis vacuam, sed omnibus ornatam virtutibus. V. Καθημερ. IV, 16 et seqq.

(5) *Metatura novum* etc. Descriptionem habes templi, quae legitur in IOANN. *Apocal.* XXI.

Argutam mutilet per dissona semetra (1) normam.
Aurorae de parte, tribus plaga lucida portis
Inlustrata patet; triplex aperitur ad Austrum
Portarum numerus: tres occidualibus offert
Ianua trina fores; toties Aquilonis ad axem
Panditur alta domus. Nullum illic structile saxum,
Sed cava per solidum multoque forata dolatu
Gemma relucenti limen complectitur arcu,
Vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in frontibus auro
Nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, et electos vocat in praecordia sensus;
Quaque hominis natura viget, quam corpore toto
Quadrua vis animat (2), trinis ingressibus aram
Cordis adit, castisque colit sacraria votis.
Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Incendat nimius, seu consummabilis aevi
Perficiat lux plena viros, seu algida Borrae (3)
Aetas, decrepitam vocet ad pia sacra senectam:
Occurrit trinum quadrina ad compita nomen (4),

(1) *semetra.* — Giselin. cum bene multis *symmetra.* Nos tamen *semetra* retinuimus: etenim *semetrum*, *i*, n. idem valet ac enorme, sine mensura, non autem symmetrum. Estque ex latino *se* (sine) arch., et graeco μέτρον.

(2) *Quadrua vis animat.* Quattuor templi latera (V. a versu 830 et seqq.) significant quattuor hominis aetates, quarum altera alteram excipit, naturamque humanam quodammodo roborare et tueri videntur.

(3) *seu algida Borrae.* Ita in codd. mss. Noster *Apoth.* 601 *Boreas* usurpavit, non *Borras:* sed tamen usurpatione talis vocis latini non abstinuerunt, eam ab Attica βοῤῥᾶ, ᾶς deducendo, ut denotarent ventum aquilonarem. Senectus vero Boreae facile seu plagae septentrionali comparatur, ut orientali pueritia confertur.

(4) *nomen,* plerique. — Giselin. *numen.* Utramque lectionem codd. Vaticc. habent, quae quidem utraque intellectum facit.

Quod bene discipulis disponit rex duodenis.
Quin etiam totidem gemmarum insignia textis
Parietibus distincta micant, animasque colorum
Viventes liquido lux evomit alta profundo.
Ingens chrysolithus (1), nativo interlitus auro,
Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum;
Distantesque nitor medius variârat honores.
Hic chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino; nam forte cyanea propter
Stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso.
Sardonychen pingunt amethystina, pingit iaspis
Sardoum (2) iuxta appositum, pulcherque topazon:
Has inter species smaragdina gramine verno
Prata virent, volvitque vagos lux herbida fluctus.
Te quoque conspicuum structura interserit ardens
Chrysophrase, et sidus saxis stellantibus addit.
Stridebat gravidis funalis machina vinclis,
Immensas rapiens alta ad fastigia (3) gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
Crystalli algentis vitrea de rupe recisis
Construitur: quadrum tegit edita calculus albens
In conum caesus capita, et sinuamine subter
Subductus conchae in speciem, quod mille talentis
Margaritum ingens, opibusque et censibus hastae

(1) *chrysolithus... inde beryllum.* De gemmis, quarum hic est mentio, multa congessit STEPH. CHAMILLARDVS in sua PRUDENTII editione Parisina ad usum regis destinati, ad quam lectores meos iubebo adire; illud tantum animadvertens primam vocis sylabam nostrum breviasse, quae graece est βήρυλλος.

(2) *Sardoum,* plures editt. — Item *Sardonium* edidit GISELINVS — *Sardonium* HEINSIVS ex codice Regio; eamdemque lect. WEITZIVS, tresque Vaticc. ostendunt.

(3) *alta ad fastigia:* scil. ad caelum.

Addictis (1) animosa Fides mercata parârat.
Hoc residet solio pollens Sapientia, et omne
Consilium regni celsa disponit ab aula,
Tutandique hominis leges sub corde retractat.
In manibus dominae sceptrum, non arte politum,
Sed ligno vivum (2) viridi est, quod stirpe recisum,
Quamvis nullus alat terreni cespitis humor,
Fronde tamen viret incolumi; tum sanguine tinctis
Intertexta rosis candentia lilia miscet,
Nescia marcenti florem submittere collo.
Huius forma fuit sceptri gestamen (3) Aäron
Floriferum, sicco quod germina cortice trudens,
Explicuit tenerum spe pubescente decorem,
Inque novos subito tumuit virga arida fetus.
Reddimus aeternas, indulgentissime Doctor,
Grates, Christe, tibi, meritosque sacramus honores
Ore pio: nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantisque animae voluisti agnoscere casus.
Novimus ancipites nebuloso in pectore sensus
Sudare alternis conflictibus, et variato
Pugnarum eventu, nunc indole crescere dextra,
Nunc inclinatis cervicibus ad iuga vitae
Deteriora trahi, seseque addicere noxis
Turpibus, et propriae iacturam ferre salutis.
O quoties animam, vitiorum peste repulsa,

(1) *opibusque et censibus hastae Addictis.* Opibus nempe et censibus sub hasta devenditis. Hic autem, nisi falsus sum, ad negotiatorem illum respexit, de quo S. Matth. XIII.

(2) *Sed ligno vivum.* — Giselin. *sed lignum vivum* etc. In ora tamen editt. suae Giselinvs nostram var. lect. adscribit.

(3) *Huius forma fuit sceptri gestamen.* Graece φόρημα. V. Nvmer. XVII. De voce *gestamen* V. Virg. *Aen.* III, 286; VII, 246. *Sil.* Ital. V. 349.

Sensimus incaluisse Deo! quoties tepefactum
Caeleste ingenium post gaudia candida taetro
Cessisse stomacho! Fervent bella horrida, fervent
Ossibus inclusa: fremit et discordibus armis
Non simplex(1) natura hominis: nam viscera limo
Effigiata premunt animam; contra ille sereno
Editus afflatu, nigrantis carcere cordis
Aestuat, et sordes arcta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux atque tenebrae,
Distantesque animat duplex substantia vires,
Donec praesidio Christus Deus adsit, et omnes
Virtutum gemmas componat sede piata;
Atque, ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria constituens, texat spectamine morum
Ornamenta animae: quibus oblectata decoro
Aeternum solio dives Sapientia regnet.

(1) *Non simplex natura hominis.* Post labem originalem hominis natura immutata est. V. PAVLL. ad *Roman.* VII; ad *Galatas*, V, 17.

PSYCHOMACHIAE FINIS

IV (*)

CONTRA Q. AVRELIVM SYMMACHVM PREFECTVM VRBIS

LIBRI DUO

—

*) CONTRA SYMMACHVM

Ecce nunc tibi, benigne lector, insignes illos libros duo, quos poëta noster versibus hexametris exharavit pubblicavitque contra Q. Aurelium Symmachum viginti post annis, quam S. Ambrosius Mediolanensium pontifex, missa epistola ad imperatores Valentinianum, Theodosium et Arcadium palam fecisset maximo in errore versari, si quis velit, uti Symmachus perversum Deorum cultum in vulgus reparare, atque Victoriae aram in senatu reficere, quemadmodum λὰξ ὀδὰξ urbi praefectus contendit.

Iam vero de Symmacho ipso placet tibi describere, quae in Bibliothecae Latinae Io. Albertus Fabricius vol. II, Libr. III, cap. XIV, p. 124 scriptum reliquit.

« Q. Aurelius Symmachus Romanus, Vir
« Consularis et praefectus urbis, causae gen-
« tium adversus Christianos pertinax et in-
« geniosus assertor Valentiani II, Theodosii
« et filiorum tempora ingenio suo illustravit,

« inter praecipua, Ammiano iudice, exempla « doctrinarum et modestiae numerandus. Per« dita eius Oratione in Vettium Agorium « praetextatum, cuius meminit lib. I epist. « LII, aliisque scriptis, estant, epistolarum « ad diversos libri X post eius obitum editi « a filio Q. Flavio Memmio Symmacho V. Cl., « quorum liber postremus Plinii Iunioris « imitatione exhibet epistulas scriptas ad im« peratores. Huius libri epistola LXI est « celebris illa *Relatio pro ara Victoriae* Va« lentiniano oblata; sed fructus expers, et « Ambrosio Prudentioque valde confutata. *Re« lationis* Symmachi *pro ara Victoriae* A. C. « CCCLXXXIV Valentiniano oblatae me« minit S. Prosper de Promissionibus p. 102 « his verbis: Theodosii vero religiosi prin« cipis imperio per Iovium et Gaudentium « Comites omnia templa expoliata, quae vana « figmenta quis nostrum permittitur ignorare? « Cui Symmachus ille mirabili eloquio et scien« tia praeditus, tamen paganus, praeconio lau« dum in consistorio recitato, subtili arte, qua « valuit, aram Victoriae in senatu restitui « Christiano, ut noverat, principi intimavit. « Quem statim a suis aspectibus pulsum in « centesimo lapidae rhedae non stratae im« positum ea die manere praecepit ». Hauries fortasse uberiora de Symmacho in Historia

Litterarum Italicarum a Hieron. TIRABOSCHIO concinnata, Vol. II; et in compendium collata multa habebis in Lexico gallico: « *Des hommes qui se sont fait un nom* ». Par F. FELLER, Tom. VIII — Lyon 1851.

Carmen heroicum, quod Prudentius, Christianis Musis omnino afflatus feliciter in Symmachum perscripsit, omnia pedibus manibusque obnixe facientem uti ara Victoriae in senatu repararetur, suusque Vestalibus honor rediret, iam despectui habitis, qualibet aetate summis laudibus fuit cumulatum, et acutissima eruditorum ingenia exercuit. IVRETVS cum primis, et I. GRANGAEVS sunt recensendi, quos memorat I. P. MIGNE in *Patrologia Latina* Vol. LIX et LX, Parisiis edita, 1862. In recentiorum linguas etiam est conversum, nobisque Italis licebit ab oblivione vindicare Carol. Augustini ANSALDI, sodalis Dominiciani, italicam eandemque poëticis luminibus distinctam interpretationem, quae saeculo elapso Venetiis in pubblicum prodiit cum hoc titulo: « *I due libri di Prudenzio contro Simmaco tradotti in versi Italiani dal P. M. Carlo Agostino* ANSALDI, *Domenicano. Venezia presso Pietro Valuasense*, 1754, in 8 ».

Hic vero ad Prudentianos versus in Symmachum properans breviter enodandos, a te, humanissime lector, peto, ne quicquam Hi-

spano poëtae nostro subirasci velis, qui pro castissima IESV CHRISTI doctrina pugnaturus, plus aequo in fabulari historia commorari videatur; dumque totus est in deorum originem, eorumque res gestas, et cultum inquirendo cui veteris Romani religiosis superstitionibus arctissime obstringebantur, incredibilia renarret, infanda facinora et obscoena deorum palam ante oculos ponat. Sed Prudentium decuit per istiusmodi viam incedere, coenu graveolenti stratam, si posset adversarium suum, nobilem quidem virum et eloquentem, ad pudorem revocare, pro impia turpissimaque religione totas vires suas expromentem. Quocirca ubi peritus et catus magister adoloscentes suos Prudentianam in Symmachum refutationem cupiat cum fructu interpretari hos vel illos versiculos pro re nata omissos faciat; vel tuto et sine offensione ita explanet, ut Romanorum ritus et religiones plane assequantur, quin tenellorum animi, cerei in vitium flecti, aliquid detrimenti patiantur.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

CONTRA SYMMACHVM

LIBRI PRIORIS

PRAEFATIO (1)

Paulus (1), praeco Dei, qui fera gentium
Primus corda sacro perdomuit stilo,
Christum per populos, ritibus asperis
Immanes, placido dogmate seminans,
Immansueta suas ut caerimonias
Gens pagana Deo sperneret agnito;
Actus turbinibus forte nigerrimis
Hibernum pelagus iam rate debili,
Et vim navifragi (2) pertulerat Noti.
Sed quum caerulei proelia gurgitis
Iussisset Domini dextra quiescere,

(1) S. Pauli historiam Poëta praestringens, quae leguntur Act. Apostolor. cap. xxvii et xxviii, ea ad rem suam commode aptare studet. Ait enim Christianum nomen, tot tempestatibus propter potentiorum odium infandum actum, vix enatasse, quum exortus est Symmachus, qui Christianis insidiatus est, quemadmodum Paulo olim e furentibus maris undis egresso. Non tamen gravius in Pauli manum morsum iecit vipera illa delitescens inter folia sarmentaque, quam Vrbis Praefectus Christi doctrinam sequentes momordit. Carmen asclepiadeum monocolon est, spondeo constans, duobus choriambis, pyrrhichio vel iambo.

(2) *navifragi*. Graece ναυαγός, navifragus est. V. VIRG. *Aen.* III, 553 ; OVID. *Met.* XIV, 6 ; STAT. *Theb.* V, 415.

Ad portum fluitans cumba (1) relabitur,
Exponitque solo litoris uvidi
Contactos pluvio frigore remiges.
Tunc de litorei saepibus algidi
Arentum propere brachia palmitum
Convectant, rapidos unde focos struant:
Fascem quisque suum congerit ignibus,
Exspectans calidi luxuriam (2) rogi.
Paulus, dum fragiles cogere surculos
Et densere (3) foci congeriem studet,
Incautam cumulis inseruit manum;
Torpebat glacie pigra ubi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans:
Quae postquam intepuit fomite fumeo,
Laxavitque ferox colla rigentia,
Iam flecti facilis, retulit ad manum
Vibrato capite spicula dentium.
Haerentem digiti vulnere mordicus
Pendentemque gerens Paulus inhorruit.
Exlamant alii, quod cute livida
Virus mortiferum serpere crederent.
At non intrepidum terret Apostolum
Tristis iam (4) subiti forma periculi:
Attollens oculos, sidera suspicit,
Christum sub tacito pectore murmurans,

(1) *cumba*. Graece κύμβα genus navigii minoris, plerumque omnibus stagnis, lacubusque trahiciendis. Nos *barchetta*. Vide Περὶ Στεφ. V, Hymn. 450.

(2) *luxuriam:* abundantiam ramorum, ex quibus ignis nuritus exultet.

(3) *densere*. Non *densare*, uti habet GISELINVS. V. HEINS. ad OVID. *Fastor*. III, 820; et nostrum *Cathem*. V, 53; GIPHANII ndic. Lucretianum in *densere*.

(4) *Tristis iam*. GISEL. aliique *tristis tam*.

Ecussumque procul decutit aspidem.
Abiectus coluber verberat aëra,
Atque oris patuli solvit acumina.
Mox omnis sanies deserit et dolor,
Ceu nullo laceram vulnere, dexteram:
Siccatusque perit vipereus liquor.
Hydrum praecipitem dum rotat impetus,
Arsurum mediis intulit ignibus.
Sic nunc post hiemem (1), vimque trucis freti,
Quo iactata ratis tunc sapientiae est,
Quum sub sacricolis territa regibus
Vix panso poterat currere carbaso,
Adflictosque suos turbine saeculi
Vectàrat, rabidis fluctibus innatans,
Morsum vulnificum lex pia pertulit.
Occultabat enim se prius (2) abditum
Virus, nec gravidum protulerat caput,
Contentum involucris (3) atque cubilibus
Subter comprimere clausa silentia.
Sed, dum forte latens impietas riget,
Dextram iustitiae pigra momorderat
Succensi stomacho fellis inaestuans.
Heu, quam catholicam nîl prope profuit
Puppim nasse sacri remigio stili,
Quem Paulus variis gentibus edidit!
Vix portu placido tuta quieverat

(1) *post hiemem.* Transl. hiems pro saevissima Christianorum oppugnatione.

(2) *Occultabat... se prius.* Etenim Constantinus, Gratianus, Theodosius, aliique optimi principes, in religionem christianam studio lati, falsorum numinum cultores, in officio quadantenus continebant.

(3) *Contentum involucris.* Relege Chathemer. hymnum, V, 35.

Victrix, edomitis mille furoribus:
Vix adstricta suis iam retinaculis
Vectores stabili condiderat solo,
Erumpit subito triste periculum.
Nam, dum praecalidos igniculos sibi
Solvendis adolent (1) et senio et gelu,
Dum virgas steriles, atque superfluas
Flammis de fidei palmite concremant,
Ut concreta vagis vinea crinibus
Silvosi inluviem poneret idoli,
Palpavit nimius perniciem tepor;
Seps (2) insueta subit, serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquii caput:
Sed dextra impatiens vulneris, inritos
Oris rhetorici (3) depulit halitus:
Effusum ingenii virus (4) inaniter
Summa Christicolis in cute substitit.
Salvator generis Romulei, precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releves manu:

(1) *adolent... dum vagas et steriles.* Dum Christiani nominis cultores steriles reliquias cultus idolorum ignibus consumunt; nam *adolent* hic est translat.

(2) *Seps insueta.* Est σεψ, σεπός, m. et f. lucertae genus, seu parvus serpens, de quo PLIN. Maior XXIX, 5, 32. Eum Lucanus tabificum vocat; AVSON. ferale malum Ausoniae in ydillio XII, *grammaticomastix.* Transl. noster ad *Symmach.* respiciens.

(3) *Oris rhetorici* Recte; nam Rhetor non orator fuit; et MACROBIVS in *Saturn.* V, 1 aperte fatetur de eius eloquentia, eum in eloquendo *luxuriari*: « Noster Symmachus luxuriatur. »

(4) *Effusum ingenii virus.* Decem adhuc supersunt Aurelii Symmachi libri Epistolarum in quibus se hostem acerbissimum Christianorum praebuit.

Huius, si potis est, iam miserescito (1),
Praeruptam in foveam praecipitis viri.
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroresque suos indocilis fovet.
Obtestor, iubeas, ne citus impetus
Arsurum mediis inferat ignibus.

(1) *Huius... iam miserescito.* Haec sunt charitatis plenae vota, et preces Prudentii pro Symmachi ab inanium cultu deorum ad Christianam professionem transitu.

CONTRA SYMMACHI ORATIONEM

LIBER PRIMVS

Credebam vitiis aegram gentilibus urbem
Iam satis antiqui pepulisse pericula morbi,
Nec quidquam restare mali, postquam medicina
Principis (1) immodicos sedârat in arce dolores.
Sed, quoniam renovata lues turbare salutem
Tentat Romulidum, Patris imploranda medela est,
Ne sinat antiquo Romam squalere veterno,
Neve togas procerum fumoque et sanguine tin-
[gui (2).
Inclitus ergo parens patriae, moderator et orbis,
Nîl egit prohibendo, vagas ne pristinus error
Crederet esse Deum nigrante sub aëre formas?
Aut elementorum naturam, quae Patris ars est (3)

(1) *Principis.* De quo nam principe loquatur poëta alii alia. Isonivs et Weitzivs cl. Prudentii interpretes hic de Constantino sermonem esse contendunt, qui perversum idolorum cultum vel eradicare, vel comprimere studuerunt in Urbe. E contrario Giselinvs et Chamillardvs Theodosium Magnum putant esse intelligendum sub nomine *principis.* Neque obstat nostrum de Principe loqui tamquam in vivis ageret, quo tempore Theodosius iam (an. CCCV) ad plures concesserat; namque pro certo habemus Prudentium anno tantum XX Symmachum confutasse ex quo suam ad Principem Orationem, seu *Expositionem* de Ara Victoriae instauranda, deque deorum cultu reparando fecerat.

(2) *tingui* pro *tingi,* et iure. V. *Cathemer.* III, 70; VIII, 72; X, 100.

(3) *quae patris ars est:* quae videlicet elementa gentibus consecrata, et pro diis habita, sunt unius Dei opus.

Omnigeni, summa pro maiestate sacraret?
Vir solus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga cicatricem summa leviter cute clausam
Duceret, et latebram tabentis vulneris alte
Impressam, penitusque putri de pure peresam,
Iuncta superficies medico fallente foveret.
Sed studuit, quo pars hominis generosior intus
Viveret, atque animam letali peste piatam
Nosset ab interno tutam servare veneno.
Illa tyrannorum (1) fuerat medicina, videre,
Qui status ante oculos praesentibus ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.
Heu, male de populo meriti, male patribus ipsis
Blanditi! quos praecipites in Tartara mergi
Cum Iove siverunt, multa et cum plebe deorum:
Ast hic imperium protendit latius aevo
Posteriore, suis cupiens sancire salutem.
Nimirum pulchre quidam doctissimus (2), « Esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes»
Estne ille e numero paucorum, qui diadema
Sortiti, aetheriae coluerunt dogma sophiae?
Contigit ecce hominum generi, gentique togatae
Dux sapiens: felix nostrae respublica Romae
Iustitia regnante viget. Parete magistro
Sceptra gubernanti: monet, ut deterrimus error,

(1) *tyrannorum:* Magnentii, Iuliani, Valentis et Valentiniani Maioris, qui idolorum cultum palam aut foverent, aut tollerarent. Vide sis ipsam Symmachi *Relationem* § III.

(2) *quidam doctissimus.* Plato κατ' ἐξοχήν. V. *De Rep.* Lib. V.

Utque superstitio veterum procul absit avorum,
Nec putet esse Deum, nisi qui super omnia sum-
[mus
Emineat, magnique immensa creaverit orbis.
Num melius Saturnus (1) avos rexisse Latinos
Creditur? edictis qui talibus informavit (2)
Agrestes animos, et barbara corda virorum?
Sum Deus: advenio fugiens; praebete latebras,
Occultate senem, nati feritate tyranni
Deiectum solio. Placet, hic fugitivus et exsul
Ut lateam: genti atque loco Latium dabo no-
[men (3).
Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon et moenia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.
Vos nemus adpositasque meo sub honore sacrantes
(Sum quianam Caelo genitus) celebrabitis aras.
Inde deos, quorum patria spectata sepulcra
Scimus (4) in aere hebetes informavere mino-
[res:
Advena quos profugus gignens, et equina libido (5)
Intulit Italiae; Tuscis namque ille puellis
Primus adhinnivit simulato numine moechus.

(1) *Num melius Saturnus.* Saturnus, ex Olympo deturbatus, in ea Italiae parte latuit, quae a latendo nomen accepit; ibi Rex Latinorum fuit, eoque rege, uti cecinerunt poëtae aurei, aetas floruit.

(2) *informavit:* vers. spondaic.

(3) *latium dabo nomen.* A *latendo latium.* V. Virg. *Aen.* VIII, 322; Ovid. *Fast.* I, 238.

(4) *deos, quorum patria spectata, Scimus.* Olim deos nihil aliud fuisse quam mortales homines eorumque sepulchra testantur. Idolorum cultum ex memoria fluxisse hominum demortuorum auctor prae ceteris est Seldenvs, *De Diis Syr.* Proleg. III.

(5) *equina libido.* Effrenis, impudens, qualis talium numinum fuit. Sacrae Litterae, et praesertim Prophetae mortales

Mox patre deterior (1) silvosi habitator Olympi
Iuppiter incesta spurcavit labe Lacaenas (2):
Nunc bove subvectam (3) rapiens ad crinem amatam,
Nunc tener ac pluma levior, blandosque susurros
In morem recinens (4) suave immorientis oloris;
Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem.
Nunc foribus surdis, sera quas vel pessulus artis
Firmârant cuneis, per tectum dives amator (5)
Imbricibus ruptis, undantis desuper auri
Infundens pluviam gremio excipientis amicae:
Armigero modo (6) sordidulam curante rapinam,
Compressu immundo miserum adficiens catamitum,

libidinosos canibus, equis, onagris adsimilare consueverunt. Vide, sis, VIRG. III *Georgicor.* et historias fabulares HYGINI, quae deos faede libidini deditos nobis depingunt.

(1) *Mox patre deterior.* Saturno e caelo deturbato, Iuppiter Olympum habuit. Deterior, seu secundus rex caeli. Deterior tamen est inferior; et nos de rebus eas dicimus deteriores, quas italice vocaremus *scadenti*. — *habitator Olympi.* Aiunt in Arcadiae monte Iovem fuisse educatum.

(2) *Lacaenas* pro *Lacoaenam*, nempe Ledam Tyndari uxorem regis Lacaedemonum.

(3) *bove subvectam.* Europen Agenoris filia, quae in fabulari historia a Iove rapta fuisse prope maris litus narratur.

(4) *In morem recinens...* Poëtae ferunt cycnum morti proximum suavissimos cantus edere. Sed de haec re videbis VINC. LANFRANCHI, *Aeneid.* VII, 705, edit. Salcs. an. M.DCCC.LXXXIX.

(5) *per tectum dives amator* etc. De Dianae fabula V. HORAT. *Lyricor.* III, ode XVI; OVID. *Met.* IV.

(6) *Armigero modo.* Ganimedem, seu catamitum, uti aiebant vetustiores Latini, tangit ab aquila, seu potius a Iove in aquilam converso raptum et in caelum latum, de quo V. VIRG. *Aen.* I, 28; et HYGIN. XI, 16.

Pellice iam puero magis indignante sorore.
Haec caussa est et origo mali, quod saecla vetusto
Hospite regnante crudus stupor aurea finxit:
Quodque novo ingenio versutus Iuppiter, astus
Multiplices variosque dolos texebat, ut illum,
Vertere quum vellet pellem (1) faciemque, putarent
Esse bovem, praedari aquilam, concumbere cycnum,
Et nummos fieri (2), et gremium penetrare puellae.
Nam quid rusticitas non crederet indomitorum
Stulta virûm (3), pecudes inter ritusque ferinos
Dedere sueta animum diae rationis egenum? (4)
In quamcumque fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens praebuit aurem.
Successit Iovis imperio corruptior aetas,
Quae docuit rigidos vitiis servire colonos
Expertes furandi homines. Hac imbuit arte
Mercurius (5), Maia genitus: nunc magnus habetur

(1) *Vertere quum vellet pellem.* Effreni libidine inflammatus varias Iuppiter formas sibi placitas sumebat, quod quidem GREGORIVS NAZIANZENVS videt in Orat. contra Iulianum. ANTONIVS autem, poëta saeculi V adversus Paganos de Iove: « Nunc serpens, nunc taurus erat, nunc cycnus et arbos — Seque immutando, qualis fuerit, iudicat ipse — Plus aliena sibi, quam propria forma placebat » V. nostrum, Περὶ Στεφ. X, 268.

(2) *Et nummos fieri.* Eandem lectionem habet GISELIN., qui tamen in margine *serere* notavit; quae lectio varia probatur Theolio nostro, estque in uno cod. m.m. Rottendorphiano et apud Heinsium.

(3) *stulta virûm:* sync. pro *virorum.*

(4) *animum diae rationis egenum,* tamquam pecora « *humanae rationis egentia* », uti cecinit S. PAVLINVS in die natal. S. Felicis, Carm. XII, 23.

(5) *Hac imbuit arte Mercurius,* deus in cuius tutela fue-

Ille deus, cuius dedit experientia fures:
Nec non Thessaliae doctissimus ille magiae (1)
Traditur exstinctas sumptae moderamine virgae
In lucem revocâsse animas, Cocytia leti
Iura resignâsse, sursum revolantibus umbris.
Ast alias damnâsse neci, penitusque latenti
Immersisse chao: facit hoc, ad utrumque peritus
Ut fuerit, geminoque armârit crimine vitam;
Murmure nam magico (2) tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scite incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisque leves pedibus transcurrere ventos.
Ecce deûm in numero formatus (3) et aeneus adstat
Graius homo (4), augustaque Numae praefulget in arce.
Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
Hortorumque opibus memorabilis. Hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticolas vexare lupas (5), interque salicta,

runt fures, qui etiam Deam Lavernam comprecabantur, quo eos arte mala fallere doceret. Mercurii laudes vide sis apud Hor. *Lyric.* I, 10; precemque ad Deam Lavernam vide etiam in Ep. horatiana I, xvi, 60. Meminit et Lavernam Lactant. VII, 13.

(1) *Thessaliae... magiae.* V. Περὶ Στ. X, 869: Apoth. 477.

(2) *Murmure nam magico.* Vide *Reg.* xxviii, ubi dicitur Samuel a Pythonissa ad vivos excitatus; ibique interpretes.

(3) *formatus.* Ita m.ss. omnes et Vaticani, cum quibus Giselinvs. Sed Hensio *tornatus* magis probatur, quem suis contentum coniecturis relinquimus.

(4) *Graius homo.* Priapus, de quo nihil praestat annotare.

(5) *Rusticolas vexare lupas.* Si audiamus Car. Dv-Cange in *Gloss. med. et infimae Latinit.*, rusticolae lupae sunt puellae, quae pecorum pascuis invigilant, hoc nomine donatae, quod vitam in montibus sylvisque habent, luporum abitaculis.

Et densas saepes obscoena cubilia inire:
Indomitum intendens animum, semperque paratum
Ad facinus, numquam calidis dabat otia venis (1).
Hic deus e patrio praenobilis Hellesponto (2),
Venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos:
Sinum (3) lactis, et haec votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.
Herculeus mollis pueri famosus (4) amore
Ardor, et in transtris iactata efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
Concubitus, et Hylan pereuntem (5) quaerere caelebs.
Nunc Saliis cantuque domus Pinaria (6) templum

(1) *calidis... venis:* phrasis est cauta ad eas corporis partes denotandas, quas pudor, dicit Phaedrus, celat. V. *Gen.* XLIX, 10.

(2) *e patrio... Hellesponto:* vers. hemistic. Priapus Liberi filius Lampsaci ortum duxit in urbe Hellesponti. Deformi adspectu eum Romani effingebant, barba promissa capilloque incompto, qui manu falcem gestaret in hortorum ingressu ad aves ac fures arcendos.

(3) *Sinum lactis.* Sinum id ex Varrone vas est, « quod maiorem cavationem, quam pocula habeat. » V. VIRG. *Ecl.* VII, 33.

(4) *famosus:* fama notus, celebris; hoc sensu Tacitus, Gelius, Florus, Apuleius. Saepius, uti noster in malam partem usurpant. Italice nos *infame, famigerato.* Herculis facinora narrant mithologi

(5) *Hylam pereuntem...* De Hyla Thiodamantis filio, Herculis comite in expeditione Argonautarum V. praesertim HYGINVM, Fab. XIV. In eius memoriam diu frustraque conquisiti annua sacra Hercules instituit. V. VIRG. *Ecl.* VI, 43.

(6) *Nunc Saliis cantuque domus Pinaria.* Salii a saliendo Martis sacerdotes, qui, *praesule* duce ancilia custodiebant, eaque certo tempore in urbe saltantes et gestantes circumferebant. A Numa Pompilio instituti eligebantur ex ordine patricio; eque Pinariorum familia Herculis sacerdotes selecti ad sacra facienda. V. LIV. I, 20; VIRG. *Aen.* VIII, 270.

Collis Aventini convexa in sede frequentat.
Thebanus iuvenis (1) superatis fit deus Indis,
Successu dum victor ovans lascivit, et aurum
Captivae gentis revehit, spoliisque superbus
Diffluit in luxum cum semiviro (2) comitatu;
Atque avidus vini multo se proluit haustu,
Gemmantis paterae spumis, mustoque Falerno (3)
Perfundens biiugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Caeditur (4), et virides discindunt ore chelydros (5),
Qui Bromium placare volunt: quod et ebria iam tunc
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit:
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Maenadas, inflammante mero in scelus omne rotatas.
Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter
Invenit expositum secreti in litoris acta
Corporis egregii scortum (6), quod perfidus illic

(1) *Thebanus iuvenis*. Bacchus, seu Bromius, cuius nominis ethimon docet OVID. *Met.* IV. CHAMILLARDVS noster interpres cuncta de Baccho morosa diligentia persequitur.

(2) *cum semiviro comitatu:* cum mollioribus et effeminatis comitibus. Hemistich. Virgilianum habemus *Aeneid.* IV, 215.

(3) *mustoque Falerno.* Officinatoris σφάλμα vitaturus GISELINVS scripsit recte *multoque falerno.*

(4) *Baccho caper... caeditur.* SERVIVS ad Virgilii Georg. II, 380: « Quum primum cognovisset Bacchus vites sibi a capro rosas fuisse, eum occidi iussisse, atque ex eius pelle utrem fecisse et vino implevisse in ultionem admissi sceleris. »

(5) *Discindunt ore chelydros.* MVRETVS in Catulliano carmine « De nuptiis Pelei et Thetydos » notat furens mulierum genus Bacchum colentium, in dei sacris coronari consuesse caput serpentibus, istiusmodi sacra, quae Romae certo tempore occurrerent, ea turpitudinis nota fuerunt inusta, ut an. DLXII Livius tradat fuisse ex s. consulto prohibita. V. LIV. L. XXXIX, 8.

(6) *scortum.* Neaeram, seu etiam Ariadnem Minois, Cretensium regis filiam, quam Bacchus sibi iure matrimonii iunxit,

Liquerat, incesto iuvenis satiatus amore.
Hanc iubet adsumptam, fervens post vina, Neaeram
Secum in deliciis fluitantis stare triumphi,
Regalemque decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnaeus stellis caelestibus ignis
Additur: hoc pretium noctis persolvit honore
Liber, ut aetherium meretrix inluminet axem.
Tantum posse omnes illo sub tempore reges,
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Vt transire suis cum sordibus induperator
Posset in aeternum caeli super ardua regnum.
Regia tunc omnis vim Maiestatis (1), et omnis,
Parva licet, caeli imperium retinere potestas
Credita: ture etiam ducibus, parvoque sacello
Impertitus honos: quem dum metus, aut amor, aut spes
Accumulant, longum miseris processit in aevum
Mos patrius. Coepit falsae pietatis imago
Ire per ignaros nebuloso errore nepotes:
Tum quia, quae vivis veneratio regibus ante
Contigerat, functis eadem iam munere lucis
Cessit, et ad nigras altaria transtulit urnas.
Inde puellarum ludibria, pignora partus,
Et furtivus amor iuvenum, et deprensa iugalis
Corruptela tori: quoniam regalibus aula
Fervere tunc vitiis solita est, nec perdita luxu
Divorum soboles sancti meminisse pudoris.

et coronam septem stellarum ei dedit, qua caput tamquam reginae redimiret. Mortua Ariadne, eius diadema in caelum est positum, quod PROPERTIVS cecinit L. III *Eleg.*, 17. De corona Ariadnea V. HYGIN. II *Astronom.* 5. — *induperator*, aut *enduperator* idem est quod *imperator* ab antiquo *endo* pro *in*. Saepe videbis in LVCRETIO et ENNIO apud Tullium.

(1) *vim maiestatis.* Maiestas pro eo quod est Dei magnitudo, vis et numen V. CAR. FRESNE DV CANGE in *Gloss.* Praestat Maiestatis originem attingere, quam cecinit OVID. *Fast.* V, 25.

Atque ut, Roma, tuos caelesti ex sede parentes,
Quis te semideam iactant auctoribus ortam,
Praestringam breviter, Gradivum vel Cytherean (1).
Ille sacerdotem (2) violat: contra illa marito
Succumbit Phrygio. Coitus fuit impar utrique.
Nec terrestre deam decuit mortalis obire
Coniugium, nec caelicolam descendere ephebum
Virginis ad vitium, furtivoque igne calere.
Sed Venus augusto de sanguine femina, vili
Privatoque viro vetitum per dedecus haesit.
Et, si Rhea sacram lascivi Martis amore
Lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva,
Crediderim generosae aliquem stirpis, sed eundem
Moribus infamem, compressa virgine per vim,
Se dixisse deum, ne stuprum numinis ullus
Obiicere auderet turpi miseraeque puellae.
Haec Italos induxit avos vel fama, vel error,
Martia Romuleo celebrarent ut sacra Campo (3);
Vtque Palatinis (4) Capitolia condita saxis
Signarent titulo proavi Iovis, atque Pelasgae
Palladis, et Libyca Iunonem ex arce (5) vocarent.
Cognatos de Marte deos, Veneris quoque nudum

(1) *Gradivum vel Cythercam.* Mars est dictus a gradiendo ultro citroque in bella, uti vult FESTVS, vel ab hastae vibratione, quae res graece dicitur κραδαίνειν; vel etiam a corona graminea qua cingitur. Venus autem cognominatur *Cytherea* ab insula Cythera in ora Peloponnesi, quo chonca marina advectam fabulantur.

(2) *sacerdotem:* Rheam Silviam, Romuli matrem. — *marito Phrygio.* Anchise.

(3) *Romuleo campo*, cui postea nomen campo Martio fuit.

(4) *Utque Palatinis capitolia...* Notum est montem Palatinum alium omnino esse ac mont. Capitolinum, quorum alter ab altero seiungitur foro interiacente. Quare latius hic Palatinus mons pro quolibet colle Romano.

(5) *Lybica ex arce:* e Carthagine.

Accirent proceres Erycino e vertice (1) signum:
Vtque deûm mater (2) Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo (3):
Facta est terrigenae domus unica maiestatis,
Et tot templa deûm Romae, quot in urbe sepul-
[cra (4)
Heroum numerare licet, quos fabula Manes
Nobilitat (5), noster populus veneratus adorat.
Hos habuere deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus:
Talia Pergameas fugerunt numina flammas (6).
Sic Vesta (7) est, sic Palladium, sic umbra Pena-
[tum;
Talis et antiquum servavit terror asylum (8).

(1) *Erycino e vertice.* Eryx (Ἔρυξ) magnus et excelsus mons est, et oppidum apud Siculos prope Drepanum, positum in ora meridionali. Ibi nobile templum est inaedificatum Veneri, quae idcirco Erycina nuncupatur.

(2) *de viridi... Naxo.* Hanc maris Aegaei insulam Virg. memorat *Aen.* III. 125, et nunc *Nicsia* est; ibi Bacchica orgia agitabantur. V. Περὶ Στεφ. XI, 65.

(3) *Deûm mater*, Cybeles, de qua vide Περὶ Στεφ. X, 196.

(4) *quot in urbe sepulcra.* Sepulcra ex XII Tabular. Leg. extra urbem constituebantur, et secundum celebriores vias, uti videbimus infra vers. 404. Virgines tamen Vestales, nobilioresque viri in urbe infodiebantur. V. Tvll. *De legibus*, XI, 5; Serv. ad Virg. XI, 206.

(5) *fabula manes Nobilitat.* Horat. *Lyric.* I, V, 16: « *fabulaeque manes, Et domus exilis Plutonia.* » Qui fuerint Manes docet Gaspar Scioppivs in Minerva Sanctiana L. IV, 1, ubi v. Perizonium.

(6) *Pergameas flammas*, incendium Troiae, cuius arx Pergamus eminebat.

(7) *Sic Vesta est...* Vestam deam in Italiam intulit Aeneas, quae in eo templo fuit exculta, ubi Palladis parva effigies, Παλλάδιον, asservabatur. V. Virg. *Aeneid.* XI, 296; Ovid. *Trist.* III, 1, 29. — *umbra Penatum.* De Penatibus, seu diis domesticis privatisque cuiusque domus et familiae V. Macrob. III *Saturn.* 4; Natal. *Comes Mytholog.* IV, 4.

(8) *asylum.* Proprie asylus est templum, aliusve quivis locus

Vt semel obsedit gentilia pectora patrum
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Aetatum per mille gradus. Tener horruit heres,
Et coluit, quidquid (1) sibimet venerabile cani
Monstrârant atavi. Puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit: gustaverat inter
Vagitus de farre (2) molae; saxa inlita ceris
Viderat, unguentoque lares humescere nigros (3).
Formatum Fortunae habitum cum divite cornu,
Sacratumque domi lapidem consistere parvus
Spectârat, matremque illic pallere precantem.
Mox, humeris positus nutricis, trivit et ipse
Impressis silicem labris, puerilia vota
Fudit, opesque sibi caesa de rupe (4) poposcit:

tutus et inviolabilis consecrationis lege, quo confugiebant qui essent periculo adfines, unde extrahi nullo modo poterant. Romulus asylum primus instituerat. V. LIV. 1, 8. GISELINVS in margine huius versus 196 glossam posuit huiuscemodi: « *Ald.* terra asservavit, erroris causa. » Hic vero quoniam occasio se dat nobis, notandum. quod NICOLAVS TOMMASEVS iure scripsit in pernobili libello: *Sulla Educazione, Desiderii. Firenze, F. Le Mounier,* 1851 *p.* 175, absurdum omnino esse nostrorum morem asylum vocandi receptacula illa, quo pueruli innocentes ad primordia litterarum perdiscenda congregamus.

(1) *Et coluit, quidquid*... Veteres Graeci Romanique deorum religiones summa cura servabant; unde illud Isocratis contritum: πρὸς νικόκλεας τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ποίει μὲν, ὡς οἱ πρόγονοι κατέδειξαν. Quod quidem monitum lectoribus suis merito per deridiculum dedit LACTANTIVS, *Div. Instit.* V, c. 29.

(2) *de farre molae.* V. Περὶ Στεφ. III, 129. — *saxa inlita ceris.* V. *Apoth.* 457.

(3) *lares... nigros*, Lares, seu Dii Penates propius focum servati fumosi nigrique erant . Haud abs re fuerit *de Diis Laribus* quae scripsit HAVERCAMPIVS in *Nummis* Famil. Roman. T. I, p. 60. V. et. ANNOT. III, p. 124.

(4) *caesa de rupe.* GISEL. *caeca de rupe.* Heinsius priorem lectionem mavelit.

Persuasumque habuit, quod quis velit, inde petendum.
Numquam oculos animumque levans rationis ad arcem
Retulit; insulsum tenuit sed credulus usum,
Privatos celebrans agnorum sanguine divos.
Iamque domo egrediens, ut publica festa diesque,
Et ludos stupuit, celsa et Capitolia vidit,
Laurigerosque deûm templis adstare ministros,
Ac Sacram resonare Viam (1) mugitibus, ante
Delubrum Romae (2) (colitur nam sanguine et ipsa
More deae, nomenque loci ceu numen habetur;
Atque Vrbis (3) Venerisque pari se culmine tollunt
Templa: simul gemínis adolentur tura deabus)
Vera (4) ratus, quaecumque fiant auctore senatu,

(1) *Ac sacram... viam.* In regione urbis quarta haec via omnium urbis celebratissima e Foro in Capitolium pertingebat. Sacra dicta, quod faedus Romulum inter et Latium ictum fuit, vel quod sacerdotes eo itinere uterentur sacrorum conficiendorum causa. In more fuit positum Horatio in ea via spatia plura ἐξαγωγῆς χάριν iterare. V. *Satirar.* IX init.

(2) *Delubrum Romae.* Si quis nummos imperator. Hadriani, Antonini Pii et Claudii inspexerit templum in iis sex columnis fultum videbit, et in medio Romam deam cum hac inscriptione, ROMAE . AETERNAE. Cui Deae Smyrnei (Tacit. *Ann.* xxxvII) et Alabandenses, Cariae populi, primi templum inaedificârunt anniversariosque ludos instituerunt. V. Sveton. *August.* LII liv XLIII, 6).

(3) *Atque Vrbis. Venerisque... Templa*, quae Hadriani cura aedificata sunt Q. Fabio Catulino, M. Fl. Apro Coss. V. Ciampinivm, *Veter. Monumentor.* Tom. II; unde facile eruitur profana haec templa in SS. Cosmae et Damiani Aedes sacras fuisse conversas

(4) *Vera ratus, quaecumque fiant.* Ita Gisel. et codd. praestantiores. More suo noster primam breviavit in *fiant;* quod praemonuimus Περὶ Στεφ. XIII, 59. V. et. in hymnis VI, 83, X, 815.

Contulit ad simulacra fidem, dominosque putavit
Aetheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.
Illic Alcides (1), spoliatis Gadibus, hospes
Arcadiae fulvo aere riget: gemini quoque fratres (2)
Corrupta de matre nothi, Ledeïa proles,
Nocturnique equites, celsae duo numina Romae
Impendent, retinente veru (3), magnique triumphi
Nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.
Adsistunt etiam priscorum insignia regum,
Tros, Italus, Ianusque bifrons (4), genitorque Sabinus,

(1) *Illic Alcides.* V. VIRG. *Aen.* VIII.

(2) *Gemini quoque fratres.* Castor et Pollux Iovis et Ledae filii; quos equites nocturnos appellat, vel quod P. Vatinio se se noctu advenienti obtulerunt; vel quod in caelum translati, sideribus adiuncti, nocturno tempore splendeant. Eorum sidus *Gemini* dicuntur V. VIRG. *Aen.* VI, 123, ubi Serv.

(3) *Impendent, retinente veru.* — GISEL. *Impendent, retinetque solo*, qui habet in margine « *retinente solo.* » A similitudine veru (lo spiedo), quod est ferreum instrumentum aut ligneum, oblongum cuspidatumque, cui carnes infiguntur igni torrendae, illud longum ferrum vocaverunt infixum simulacris numimum, quod ea retineret atque firmaret eo loco ubi erant collocata. De lectione autem et intellectu huiusce loci Prudentiani in Aldum, Fabricium aliosque poëtae editores digladiatur LVCAS HOLSTENIVS in dissertatione « De verubus Dianae », quam licebit adire. — *magnique triumphi nuntia.* LIVIVS L. II, narrat Castorem et Pollucem in bello Latino Postumio victoriam nuntiasse; haec eadem in bello Macedonico praestitisse refert. LACTANT. *Divin. Institut.* L. II, c. 8.

(4) *Tros, Italus, Ianusque bifrons, Genitorque Sabinus.* Tros Aeneas est: Italus antiquus Italorum heros. V. VIRG. VII, 178. Iano Latii regi, qui Saturnum e caelo exturbatum benigne excepit, templum extructum erat, quod, pace inter hostes composita, claudebatur, flagrante bello patebat. Biceps aut bifrons fuit cognominatus. V. OVID. *Fast.* I, 103. — *Picus,* Saturni filius, pater Fauni, quem Circes in avem cognominem convertit. V. VIRG. *Aen.* VIII, 189.

Saturnusque senex, maculoso et corpore Picus,
Coniugis epotum sparsus per membra venenum.
Omnibus ante pedes posita est sua cuique sordens
Arula. Iano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis epulisque sacris, quas inveterato,
Heu! miseri, sub honore (1) agitant, et gaudia du-
[cunt
Festa Kalendarum. Sic observatio crevit,
Ex atavis quondam male coepta: deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosus vitiosa in saecula fluxit.
Hunc morem veterum docili iam aetate secuta
Posteritas mense, atque adytis, et flamine, et aris
Augustum (2) coluit, vitulo placavit et agno.
Strata ad pulvinar iacuit, responsa poposcit.
Testantur tituli, produnt consulta senatus,
Caesareum Iovis ad speciem statuentia templum.
Adiecere sacrum, fieret quo Livia (3) Iuno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; iam gravidae fulcrum geniale paratur;
Iam sponsus, saliente utero nubentis, amicos

(1) *sub honore agitant.* Cal. ianuariis, ut animo, seu genio suo indulgerent Romani, se lascivis superstitionibus effrenisque cupiditatibus tradebant. Imperatores, quamquam Christianam religionem professi, facile veteribus superstitionibus morigebantur, plane ut Concilia et Patres immoderatam licentiam censoria virgula hac in re notare non dubitaverint. Vide sis BINGHAMVM, *Orig. Christianor.* Vol. IV, Lib. 20, c. 1.

(2) *Augustum coluit.* De Augusto, cui honores divini adhuc in terris degente tribuebantur. V. TACIT. *Ann.* I, 10; ubi Excurs. C. Lipsii; HORAT. *Lyricor.* I, 2; III, 3; VIRG. *Ecl.* I, 7.

(3) *fieret quo Livia Iuno.* V. SVETON. *Claud.* XI.

Advocat, haud sterilem certus fore iam sibi pactam.
Vitricus antevenit tardum praefervidus ortum
Privigni nondum geniti: mox editur inter
Fescennina novo proles aliena marito.
Idque deûm sortes, id Apollinis antra (1) dederunt
Consilium: numquam melius nam cedere taedas
Responsum est, quam quum praegnans nova nupta [iugatur.
Hanc tibi, Roma, deam, titulis et honore sacratam
Perpetuo, Floras inter Veneresque creasti.
Nec mirum; quis enim sapiens dubitaverit, illas
Mortali de stirpe satas vixisse, et easdem
Laude venustatis claras, in amoribus, usque
Ad famae excidium, formae nituisse decore?
Quid loquar Antinoum (2) caelesti in sede locatum?
Illum delicias nunc divi principis: illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique dei Ganymedem, non cyathos dîs
Pôrgere, sed medio recubantem cum Iove fulcro,
Nectaris ambrosii sacrum potare Lyaeum,
Cumque suo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auspicibus Traianus, Nerva, Severus,
Et Titus, et fortes gesserunt bella Nerones?
Quos terrena viros inlustres gloria fecit,
Et virtus fragilis (3) provexit in ardua famae,

(1) *Idque deum sortes, id Apollinis antra.* Cfr. TAC. *Ann.* I I, 10.

(2) *Antinoum.* Catamitum adôlescentem, quem imperator Hadrianus deperibat, quemque Graeci Alexandrini in adulationem proiecti consecrare non dubitarunt. V. SPARTIAN. *Hadrian.* c. XIV, et FABRETT. *Inscript.* CVI — *porgere* sync. a porrigo. V. VIRG. *Aen.* VIII, 274; VAL. FLACC. II, 656; STAT. *Sylv*, II, 5, 204.

(3) *Et virtus fragilis.* Veteribus superstitionibus imbutos veraces virtutes cognitas non habuisse haud multis opus est demonstrare. V. S. AVGVSTIN. *Contra Pelagianos;* praesertim vero *Contra Iulian.* L. IV, § XVII.

Adscita terris sub religione iacentes (1).
Quam pudet, hoc illis persuasum, talibus ut se,
Romanasque acies censerent Martis amore
Posse regi, dum se Paphiae male blandus adulter
Venditat, Aeneadasque suos successibus auget?
Felices, si cuncta Deo sua prospera Christo
Principe disposita scîssent! qui currere regna (2)
Certis ducta modis, Romanorumque triumphos
Crescere, et impletis voluit se infundere sae-
[clis (3).
Sed caligantes animas et luce carentes,
In Iovis Augustique adytis, templisque duarum
Iunonum (4), Martisque etiam Venerisque sacellis
Mactatas, taetro leti immersere barathro,
Supremum regimen crassis in partibus orbis
Esse rati, mersoque poli consistere fundo.
Quidquid humus (5), quidquid pelagus mirabile gi-
[gnunt,
Id duxere deos: colles, freta, flumina, flammas.
Haec sibi per varias formata elementa figuras
Constituere patres, hominumque vocabula mutis
Scripserunt statuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel cyaneas cava flumina Nymphas,

(1) *Adscita terris sub religione iacentes.* HEINSIVS, et unus tantum e codd. Vaticc. Sed cum GISELINO bene multi: *adscitae terris*, scilicet *famae... adscitae.*

(2) *qui currere regna.* V. S. AVGVSTINVM, *De Civit. Dei*, L. V, 22.

(3) *impletis... saeclis.* V. Cathemer. XI, 25.

(4) *duarum Iunonum.* Altera Iovis soror et uxor, altera Livia, quam supra tetigimus, vers. 251.

(5) *Quidquid humus...* De numero pene infinito numinum apud veteres Graecos Romanosque vide sis prae ceteris GERARDIVM VOSSIVM, *De origine idololatriae*, c. I, et ANDREAM BEYERVM in Additt. SEDLENI *Prolegom.* « De Diis Syris », ubi elenchum habebis populorum, qui bruta, plantas aliasque res naturales pro diis excoluerunt.

Vel silvas Dryadas, vel devia rura Napaeas.
Ipse ignis, nostrum factus qui servit ad usum,
Vulcanus perhibetur, et in virtute superna
Fingitur, ac delubra, deus et nomine et ore
Adsimilatus, habet: nec non regnare caminis
Fertur, et Aeoliae summus faber esse, vel Ae-
tnae (1).
Est, qui conspicuis superos quaesivit in astris,
Ausus habere deum (2) Solem; cui tramite cer-
[to
Conditio imposita est, vigilem tolerare laborem,
Visibus obiectum mortalibus, orbe rotundo
Praecipitem, teretique globo per inane volantem;
Et, quod nemo negat, mundo caeloque minorem.
Area maior enim, quam qui percurrit in illa:
Et longe campi spatium diffusius, in quo
Emicat, ac volucri fervens rota volvitur axe.
Quamvis nonnullis placeat, terram breviorem
Dicere circuitu, quam sit pulcherrimus ille
Circulus, et flammas immensi sideris, ultra
Telluris normam, porrecto extendere gyro.
Numne etiam caeli minor et contractior orbis,
Cuius planitiem longo transmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non est grandior ulla
Materies, qui fine caret, qui praesidet omni
Naturae, qui cuncta simul concludit et implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus variis distinguitur: aut subit ortu,

(1) *Aeoliae summus faber esse vel Aetnae.* Vulcanus Lemni in insula maris Aegaei, ubi e caelo prolapsus est suas officinas habuit et in Aetna. V. Virg. *Georg.* IV, 170 et seqq.; *Aeneid.* VIII, 415 et seqq.

(2) *Ausus habere deum solem.* V. Sap. c. xiii.

Aut ruit occasu, latet aut sub nocte recurrens:
Nec torquere facem (1) potis est ad signa Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec solitum conversus iter revocare retrorsum.
Hic erit ergo Deus, praescriptis lege sub una
Deditus officiis? Libertas laxior ipsi
Concessa est homini: formam cui flectere vitae
Atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro
Scandere, seu laevo malit decurrere campo,
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere Deo, sive in contraria verti.
Ista ministranti regimen solemne dierum
Haudquaquam Soli datur a factore potestas:
Sed famulus subiectus agit quodcumque necesse est.
Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, et radios capitis, et verbera dextrae (2),
Et frenos, phalerasque et equorum pectora anhela
Aeris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Iusserunt nitido fulgere polita metallo.
Post trabeas, et eburnam aquilam, sellamque (3) curulem,
Cernuat ora senex barbatus, et oscula figit
Cruribus aenipedum, si fas est credere, equorum
Immotasque rotas, et flecti nescia lora
Aut ornat redimita rosis, aut ture vaporat.

(1) *Nec torquere facem...* Cfr. Manil. *Astronomic.* I, 524.

(2) *et verbera dextrae.* Nil pulcrius Solis descriptione, quam legimus apud Ovid. *Metam.* XI, 153.

(3) *Post trabeas, et... aquilam, sellamque.* Trabeas, aquilam, curulemque sellam metonymice pro maioribus magistratibus, quorum erant insignia. V. Περὶ Στεφ. X, 143. — *Hoc tamen utcumque est tolerabile.* Haec quadantenus possemus tolerare, sed quae sequuntur prorsus indigna. V. Sap. c. xiiI, 6.

Hoc tamen utcumque est tolerabile. Quid? quod et ipsae
Dant tibi, Roma, deos inferni gurgitis umbrae.
Eumenidum domina Stygio caput exserit antro,
Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina (1) regis;
Et, si quando suos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccae sterilis cervice resecta (2),
Et regnare simul (3) caeloque Ereboque putatur:
Nunc bigas frenare boves, nunc saeva Sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro,
Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.
Denique quum Luna est, sublustri splendet amictu:
Quum succincta iacit calamos, Latonia virgo est,
Quum subnixa sedet solio, Plutonia coniux
Imperitat Furiis, et dictat iura Megaerae.

(1) *Rapta... Proserpina.* Hanc Cereris et Iovis filiam Dites ex inferis erumpens rapuit. V. C. CLAUDIANI *de raptu Proserpinae libros tres recensuit et variis lectionibus auxit* VINC. LANFRANCHIVS ex Sales. officina an. MDCCCLXXXIV.

(2) *Placatur vaccae sterilis cervice resecta.* Cfr. VIRG. *Aeneid.* VI, 251.

(3) *Et regnare simul....* Proserpina eadem atque Hecates. Triformis autem vocabatur, atque tergemina a poëtis, utpote quae in caelo Luna appellabatur, in terris Diana et Lucina, apud inferos Proserpina. Maximam ei vim inesse putabant; quare VIRGILIVS, *Aeneid.* VI, 247, sacerdotem dicit inter sacra quum saetas iuvencorum ignibus imposuisset, voce vocasse « Hecaten, caeloque Ereboque potentem. » Cum Iside eandem unam fecere, uti apparet penes Gruterum in inscriptione de Nummo Panteo Hadriani. Haec sic se habet:

TE TIBI
VNA QVAE
ES OMNIA
DEA . ISIS .
ARRIVS BALB
BINVS V. C.

Si verum quaeris; Triviae sub nomine (1) daemon
Tartareus colitur, qui te modo raptat ad aethram,
Sidereoque deum venerandum suadet in astro:
Per silvas modo mortiferi discurrere mundi,
Erroresque sequi subigit, nemorumque putare
Esse deam, quae corda hominum pavitantia figat,
Quaeque feras perimat letali vulnere mentes:
Depressos modo subter humum formidine sensus
Obruit, implorent ut numina lucis egena,
Seque potestati committant noctis opertae.
Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator (2) arena,
Heu male lustratae Phlegethontia victima Romae!
Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?
Quid mortes iuvenum? quid sanguine pasta voluptas?
Quid pulvis caveae semper funebris, et illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompae?
Nempe Charon iugulis miserorum se duce dignas
Accipit inferias, placatus crimine sacro.
Hae sunt deliciae Iovis infernalis: in istis
Arbiter obscuri placidus requiescit Averni.
Nonne pudet regem populum (3) sceptrisque po-
[tentem
Talia pro patriae censere litanda salute?
Religionis opem subternis poscere ab antris?
Evocat, heu! poenis tenebrosa ex sede ministrum
Interitûs, speciosa hominum cui funera solvat.

(1) *Triviae sub nomine*, sive quod ex Varrone eam Graeci in triviis ponerent, sine quod tres vias discurrere moris habebat, terrestrem, caelestem et inferorum.

(2) *infausta fusus arena*. V. infra *Cont. Symm.* II, 1090.

(3) *regem populum*, qui fuit Romanus V. VIRG. *Aen.* I, 21· — GISELIN. in sua edit. Parisina, saepius nobis memorata, describit: « *regem sceptrisque potentem* ». Sed praestantiores membranae Theolianam habent lect. quam HEINSIVS suam fecit.

Incassum arguere iam Taurica sacra (1) solemus:
Funditur humanus Latiari in munere sanguis,
Consessusque ille spectantum solvit ad aram
Plutonis fera vota sui. Quid sanctius (2) ara,
Quae bibit egestum per mystica tela cruorem?
Anne fides dubia est tibi, sub caligine coeca
Esse Deum, quem tu tacitis rimeris in umbris?
Ecce, deos Manes (3) cur infitiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant: dîs Manibus illic
Marmora secta lego, quaecumque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque Salaria bustis (4).
Dic, quibus hunc scribis titulum (5): nisi quod [trucis Orci

(1) *Incassum arguere iam Taurica sacra.* Inter populos, qui humanas victimas diis mactarent atque Tauros Firm. Lactantius percenset; et L. I, c. xxi eos lege comparavisse testatur, ut Dianae hospites immolarent; neque ab hoc barbaro more abhorruisse narrat Latinos ipsos, de quibus ait: « Latialis Iupiter etiam nunc sanguine colitur humano. » Cfr. Lipsium, *De Amphiteatro.* cap. IV.

(2) *quid sanctius... ara.* Haec εἰρωνεικῶς.

(3) *Ecce deos Manes.* Dii Manes fuere οἱ νέκυες, αἱ ψυχαὶ τῶν νεκρῶν. V. Apuleium, *De Deo Socratis*: et S. Augustin. *De Civitate Dei*, l. IX, 11, Cfr. et Serv. ad III *Aeneid.* 63. Prudentius Deos Manes non esse diis adnumerandos demonstrat.

(4) *Latina... densisque Salaria bustis.* Subaudi *via.* Latina autem. a porta cognomine, in populos Latinos ibat per Ferentinum, Aquinum, Casinum, Teanum, Sidicinum et Casilinum agrum, ubi cum Appia coniungebatur. A Salaria porta, quae postea Collina fuit, via producebatur eiusdem nominis; hoc vero nomine donata, quod impetratum fuerat, ut ea liceret Romanis a mari in Sabinos salem convectare. V. Plin. Maior. H. N. XXXI, 7, 41.

(5) *hunc scribis titulum.* In epitaphiis scribendis titulos veteres Romani a duabus litteris singularibus incipiebant D. M. quibus quodammodo monumenta suorum Diis Manibus consecrarent. Id vero adeo moris fuit, ut Christiani nominis mortales, nil plane sentientes a D. M. memoriam et virtutes Christianorum scalperent, quamquam nonnullos videmus B. M. (bonae memoriae) non D. M. sepulcris sacris posuisse. Tu vero, benigno lector, facilius e Christianorum capite omnem culpam de-

Imperium, verae ceu maiestatis, adoras?
En quibus implicita squalebat regia summi
Imperii, tractis maiorum ab origine sacris!
Quum Princeps, gemini bis victor caede (1) tyranni,
Pulchra triumphali respexit moenia vultu,
Nubibus obsessam nigrantibus adspicit urbem,
Noctis obumbratae caligine: turbidus aër
Arcebat liquidum septena ex arce serenum.
Ingemuit miserans, et sic ait: « Exue tristes,
Fida parens, habitus; equidem praedivite cultu
Inlustrata cluis, spoliisque insigne superbis
Attollis caput, et multo circumfluis auro:
Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti
Verticis horret apex: ipsas quoque livida gemmas
Lux hebetat, spissusque dies, et fumus ab ora
Suffusus rutilum frontis diadema retundit.
Obscuras video tibi circumferrier (2) umbras,
Caeruleasque animas, atque idola nigra volare.
Censeo, sublimem tollas super aëra vultum;
Sub pedibusque tuis nimbosa elementa relinquas.
Omne, quod ex mundo est, tibi subiacet: hoc Deus ipse
Constituit, cuius nutu dominaris, et orbi
Imperitas, et cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, ut submissa oculos, regina, caducum

rivabis, si perleges optimam opellam: *Trattato dell'Epigrafia Latina e Italiana di* RAFFAELE NOTARI *Barnabita. — Torino Marietti* 1856, *pag.* 135.

(1) *princeps gemini bis victor caede tyranni.* Non esse hic sermonem de Constantino Maxentii et Licinii victore, uti putant ISONIVS, WEITZIVS et CHAMILLARDVS, sed potius de Theodosio Magno, qui Maximum et Eugenium devicerunt nos cum GISELINO et CELLARIO calculum adiicimus. In mentem revoca quae ad vers. 4 annotavimus.

(2) *circumferrier.* παραγ.

Contemplare solum, maiestatemque requiras
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.
Non patiar (1), veteres teneas ut me duce nugas,
Ut cariosorum venereris monstra deorum.
Si lapis est, senio dissolvitur, aut crepat ictu
Percussus tenui; mollis si bractea gypsum
Texerat, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuae lamnis (2) commisit aënis
Lima terens; aut in partem cava membra gravato
Pondere curvantur; scabra aut aerugo peresam
Conficit effigiem, crebroque foramine rumpit;
Nec tibi terra Deus, caeli nec sit Deus astrum.
Nec Deus Oceanus, nec vis, quae subter operta est,
Infernis triste ob meritum damnata tenebris.
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spirituumve, vagae tenui sub imagine formae.
Absit ut umbra (3) Deus tibi sit, geniusve, locusve,
Aut Deus aërias volitans phantasma per auras.
Sint haec barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne sacrum est, quidquid formido tremendum
Suaserit; horrificos quos prodigialia (4) cogunt
Credere monstra deos, quos sanguinolentus edendi

(1) *Non patiar.* Vide sis S. AVGVSTINVM, *De Civit. Dei*, V, 26, ubi de Theodosio ait: *simulacra gentilium ubique evertenda praecepit.*

(2) *lâmnis:* sync. *laminis. V.* HORAT. *Lyricor.* II, 2; et *Ep.* I, 15, v. 36.

(3) *ut umbra.* Ut dii Manes, inferi sint, ut *Larvae,* de quibus iam vidimus.

(4) *prodigialia.* Prodigialis, ad prodigium pertinens. Vide *Amartig.* 468. Epitheton PLAVTO usurpatum in *Amphitr.* II, 2, 107. CLAVDIANVS novavit in Ruf. 433, *Prodigiale* adverbial. usus est STATIVS; HORATIVS *prodigialiter* adverb. Ep. da Pis. 29.

Mos iuvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, visceribus multa inter vina vorandis.
At te, quae domitis leges ac iura dedisti
Gentibus, instituens, magnus qua tenditur orbis,
Armorum morumque feros mansuescere ritus,
Indignum ac miserum est, in religione tenenda
Hoc sapere, immanes populi de more ferino
Quod sapiunt, nullaque rudes ratione sequuntur.
Seu nos procinctus maneat (1), seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum
Colla tyrannorum (2) media calcemus in urbe:
Agnoscas, regina, libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro praefertur in hastis.
Hoc signo (3) invictus, transmissis Alpibus ultor,
Servitium solvit miserabile Constantinus.
Quum te pestifera premeret Maxentius aula (4),
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Vt scis ipsa, patres; aut sponsus foedera pactae
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris, dura inter vincula flebat:
Aut si nupta, torum regis conscendere iussa,
Coeperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio poenas.
Plena puellarum patribus ergastula (5) saevi

(1) *Seu nos procinctus maneat:* scil. bellica expeditio.

(2) *duorum Colla tyrannorum.* V. adnotat. ad vers. 410.

(3) *Hoc signo invictus.* V. Zonaram in Constantinum penes Baron. Ann. Tom. IV, pag. 901, et Balvtivm in adnotat. ad Lactant. Libr. *De mortibus persecutorum.*

(4) *pestifera premeret Maxentius aula.* Libidines et crudelitatem Maxentii narrat Evsebivs *De Vita Constant.* Vide et Lactant., *De Morte Persecutorum*, xliv.

(5) *Plena puellarum patribus ergastula Principis.* Sic m.ss. Sed Giselinvs, Nicol. Heinsivs, aliique ad metri veriorem rationem accedens: « Plena puellarum patrumque ergastula saevi Principis. »

Principis: abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit; non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa animis (1) suspiria traxit:
(Vim libertatis nimiae, patriumque dolorem.)
Testis Christicolae ducis adventantis ad urbem
Mulvius (2), exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Praecipitans, quanam victricia viderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera vindex
Praetulerit, quali radiârint stemmate pila.
Christus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum (3): clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo;
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris, ad inclita flendo
Procubuit vexilla iacens. Tunc ille senatus
Militiae ultricis titulum, Christique verendum
Nomen (4) adoravit, quod conlucebat in armis.

(1) *confessa animis.* Unus e codd. Vatic. Qui *convexa nimis* describunt aberrant. Neque receperim: *confessa nimis* quam lect. Giselinvs recepit.

(2) *Mulvius,* vel *Milvius* pons, hodieque Romae *Ponte Molle,* unde initium fuit viae Flaminiae; Tiberi impositus extra portam Flumentanam ad secundam lapidem. V. Avrel. Victorem, *Viror. Illustrium* 72. Cfr. Evsebivm L. I, xxxviiI.

(3) *Signabat labarum.* Graece λαβαρόν. Eius formam habes in Evsebio, *Constant. Vita.* Lib. I, cap. xxxi. V. etiam Card. Dv Fresne, *Gloss.* ad verbum *Labarum*; et *Lex. Poëtic. totius linguae latinae* Vinc. Lanfranchii quod cogor quandoque memorare.

(4) *Christique verendum Nomen adoravit.* Latius haec intelliges; non enim omnes ordinis senatorii Christianam doctrinam tunc temporis amplexabantur. Labarum tamen, quod monogramma Christi praeferebat, tamquam princeps militiae Romanae vexillum ex more salutabatur. Cfr. Card. Baronivm ad ann. CCCXII.

Ergo cave, egregium caput orbis, inania posthac
Prodigia, et larvas stolido tibi fingere cultu,
Atque experta Dei virtutem spernere veri.
Deponas iam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoque indigna sacraria regno.
Marmora tabenti (1) respergine tincta lavate,
O proceres: liceat statuas consistere puras
Artificum magnorum opera: hae pulcherrima nostrae
Ornamenta cluant (2) patriae, nec decolor usus
In vitium versae monumenta coinquinet artis.
Talibus edictis urbs informata refugit
Errores veteres, et turbida ab ore vieto
Nubila discussit, iam nobilitate parata
Aeternas tentare vias, Christumque vocante
Magnanimo ductore sequi, et spem mittere in aevum.
Tunc primum senio docilis sua saecula Roma
Erubuit: pudet exacti iam temporis: odit
Praeteritos foedis cum religionibus annos.
Mox, ubi, contiguos fossis muralibus agros
Sanguine iustorum innocuo maduisse (3) recordans,
Invidiosa videt tumulorum millia circum,

(1) *Marmora tabenti* etc. Locum insignem habemus hic de veterum monumentis conservandis. Cum iam subactae veterum religiones sint, et e mortalium mente depulsae pravae de diis falsis et mendacibus superstitiones, omnino ait poëta noster decere monumenta reparare, et bene lauta retinere, habita ratione artis sculptoriae, quae luculenter in iisdem elucet. Qua de re, tibi auctor fuerim, benigne lector, ut opus gallicum evolvas, quod haud ita pridem italice convertit ALEXANDER FABRE politior. litterar. doctor. (V. Lezione xvii); tum etiam Epistolam S. GREGORII MAGNI LXVIII LIBRI II S. Augustino missam.

(2) *cluant:* illustrent. ἀρχ. Vide sis Cathomer. IV, 107; Contra Symm. 584.

(3) *sanguine iustorum innocuo maduisse*... scil. martyrum, qui per tot cruciatus, mortemque ipsam confirmarunt Christi doctrinam. ALIGHERIVS, *Parad.* XVIII, 123 in hanc rem: « il templo, Che si murò di segni e di martiri. »

Tristis iudicii mage poenitet, ac ditionis
Effrenis, nimiaeque sacris pro turpibus irae:
Compensare cupit taeterrima vulnera laesae
Iustitiae sero obsequio veniaque petenda,
Ne tanto imperio maneat, pietate repulsa,
Crimen saevitiae, monstrata piacula quaerit (1),
Inque fidem Christi pleno transfertur amore.
Laurea victoris Marii minus utilis urbi,
Quum traheret Numidam populo plaudente Iugur-
[tham:
Nec tantum Arpinas consul (2) tibi, Roma, medelae
Contulit, exstinto iusta inter vincla Cethego;
Quantum praecipuus nostro sub tempore princeps
Prospexit tribuitque boni. Multos Catilinas
Ille domo pepulit: non saeva incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed Tartara nigra animabus,
Internoque hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanumque forum et Capitolia celsa tenebant,
Qui coniuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno
Consuêrant tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitante ex hoste togatus
Clara tropaea refert sine sanguine, remque Quirini
Adsuescit supero pollere in saecula regno.
Denique nec metas statuit (3), nec tempora ponit:
Imperium sine fine docet, nec Romula virtus
Iam sit anus, norit ne gloria parta senectam.
Exsultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum,

(1) *monstrata piacula quaerit.* Inquirit in Fontem salutaris lavacri, in tribunalia ubi peccata remittuntur, et poenitentiae iussa dicuntur; inque aliaque Sacramenta.

(2) *Arpinas consul.* Cicero in agro arpinate natus.

(3) *Denique nec metas statuit.* V. VIRG. *Aen.* I, 278.

Candidiore toga (1) niveum pietatis amictum
Sumere, et exuvias deponere pontificales.
Iamque ruit, paucis Tarpeia in rupe (2) relictis,
Ad sincera virûm penetralia Nazareorum,
Atque ad Apostolicos Evandria curia (3) fontes,
Anniadum soboles (4), et pignora clara Proborum.
Fertur enim ante alios generosus Anicius (5) urbis
Inlustrasse caput: sic se Roma inclita iactat.
Quin et Olybriaci generisque et nominis heres,
Adiectus fastis, palmata insignis abolla (6),

(1) *Candidiore toga.* Fortasse noster ad rite baptismate ablutos respicit, qui alba veste in octo dies perpetuos post pascha induerentur ad Dominicum festum, quod idcirco Dominica in albis appellatur.

(2) *paucis Tarpeia in rupe relictis.* S. Hieron. nobili ep. *De institut. filiae* ad Letam scribit: « Solicitudinem patitur in urbe gentilitas; dii quondam nationum cum bubonibus et noctuis in solis culminibus remanserunt. »

(3) *Evandria curia.* Ab Evandro arcade curia Rom. Evandria est dicta, qui Troianis temporibus in Italiam commigravit. V. Virg. *Aen.* VIII.

(4) *Anniadum soboles... Proborum.* Illustres famil. saeculi V Romae fuere Annia, Proborum, *Olybria* etc. V. Reinesivm *Inscript. Ant.*, et praecipue Tillemontivm, *Vit. Imperatorum,* ad ann. CCCLXVIII.

(5) *generosus Anicius.* Anicius Iulianus consul fuit an. U. CCCXXII, primusque ordinis senatorii in medio aestu oppugnationis contra Christianos doctrinam Christi professus est. V. Baronivm ad an. CCCXCV; et Tillemontivm, *Hist. Eccles.* sub titulo *S. August.* N. ccxxxv.

(6) *palmata insignis abolla.* Pallii genus fuit abolla panno duplici consuti, quo militares uterentur; et opponebatur togae, quae pacis erat. Duplicem amictum abollam vocat Servius ad ea Virgil. *Aeneid.* V, 21. In ea palmae depingebantur uti in triumphali tunica, seu sago. Nullo negotio ad res sacras Christiani abollam converterunt. Quare apud Illirios mentio est cuiusdem vestis sacerdotalis, dum sacrum fieret, quae *palmatica* a palmis depictis dicebatur. V. Hvgonem Menardvm in libro *Sacrament.* adnot. 940. Ceterum de tunica palmata Ferrarivs abunde disputat « De re vestiaria » L. II, cap. VIII.

Martyris ante fores, Bruti submittere fasces
Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securem (1).
Non Paulinorum, non Bassorum (2) dubitavit
Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciae venturo attollere saeclo.
Iam quid plebicolas percurram carmine Gracchos (3),
Iure potestatis fultos, et in arce senatus
Praecipuos, simulacra deûm iussisse revelli,
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet, ad Christi signacula versas,
Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
Si persona aliqua est, aut si status urbis, in his [est:
Si formam patriae facit excellentior ordo,
Hi faciunt, iuncta est quoties sententia plebis,

(1) *Ausoniam Christo inclinare securem.* Quo tempore poëmata sua scripsit Prudentius moris fuit ut senatores, qui praeturam et consulatum essent adepti, ad aedes Apostolorum irent publice grates acturi. Hi per occasionem stipem pauperibus et vestem prolixius largiebantur; quod quidem ipsosmet veteribus superstitionibus imbutos factitasse scimus: et AMM. MARCELLINVS Lib. XXVII, *Rer. Gestar.* de Symmaco sermonem interserens, de eius praef. urbis patre, scriptum reliquit: « accitos e Vaticano quosdam egentes opibus ditaverat magnis. »

(2) *Non Paulinorum, non Bassorum...* Haec ad laudes videntur pertinere et Pontii Paulini, qui postmodum praeclarus Nolanensium Episcopus fuit, et Iunii Bassii, qui primus de gente sua nomen Christianum est professus. Ambo memorantur in inscriptione, quam IACOBVS SIRMVNDVS protulit in lucem in adnotationibus ad Eunodium.

(3) *plebicolas... Gracchos.* Tiberius et Caius Corneliae clarissimae matris filii, poplicolae dicti, quod populi studiosi in primis fuere. De his IVVENAL. *Sat.* II, 24; S. HIERONYMVS Ep. ad Laetam Gracch. urbi praefectum memorat sub Augusto Valentiniano, Valente et Gratiano, quorum ope simulacra et idolorum cellae subversa sunt.

Atque unum sapiunt plures, simul ac potiores.
Respice ad inlustrem, lux est ubi publica, cellam (1):
Vix pauca inveniens gentilibus obsita nugis
Ingenia, obtritos aegre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat servare tenebras,
Splendentemque die medio non cernere solem.
Post hinc ad populum converte oculos, quota pars est,
Quae Iovis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit coenacula vulgus (2),
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis (3) obses;
Coetibus aut magnis Lateranas currit ad aedes,
Vnde sacrum referat (4) regali chrismate signum.

(1) *Respice ad inlustrem... cellam.* Vel ad senatum hic spectat, vel ad alium locum, quo cives convenirent seorsum de rebus publicis disserentes.

(2) *Omnis, qui celsa scandit coenacula vulgus.* Tenniorum conditio hic breviter ob oculos nobis ponit, qui in altis coenaculis habitarent, quae nos subalpini *soffitte* diceremus. Istiusmodi esuriones pedibus nudis, tunicati duras urbis silices terere videbantur, quaestum non ut pane siligineo et albo, sed sordido et sub nigri coloris famem impellentem abigerent. Iamvero panis plebeius ad plebem saturandam coquebatur, *gradilisque* appellabatur a gradibus, qui in unaquaque regionis urbe essent pistrinis proximi. Plura de hoc pane cibario habebis in *Cod. Theodosian.* 14, 17; 3, 4. (S. Petri principis Apostolorum hymn. XII).

(3) *Cinis ille latet genitoris amabilis.* Cinis hic per abusionem reliquiae, ossa, exuviae sunt. MARCELLIVS in adnotationibus *Inscription. Sacr.* XXV ait: « fallitur porro qui cineres tantum corporum crematorum reliquias appellari putat ». Ego vero proprie exuvias, ossa reliquias defunctorum nolim cineres vocare, quae vox velimus, nolimus ad horrifica busta trahunt. V. elegantissimi IOSEPHI MANNI, *La fortuna delle frasi*, N. III, pag. 20.

(4) *Unde sacrum referat* etc. Ad sacrum Chrisma refertur hic versus. Feria namque V dominicae quae a Palmis nomen

Et dubitamus adhuc, Romam tibi, Christe, dicatam
In leges transisse tuas? omnique volentem
Cum populo et summis cum civibus, ardua magni
Iam super astra poli terrenum extendere regnum?
Nec moveor, quod pars hominum rarissima clausos
Non aperit sublime oculos (1), et gressibus errat.
Quamlibet inlustres meritis, et sanguine clari,
Praemia virtutum titulis et honoribus aucti
Ardua retulerint, fastorumque arce potiti (2)
Annales proprio signârint nomine chartas,
Atque inter veteres cera numerentur et aere (3):
Attamen in paucis, iam deficiente caterva,
Nec persona sita est patriae, nec curia constat;
Et quodcumque fovet studii privata voluntas,
Ac iam rara tenet: sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic consulta patrum subsistere conscriptorum,

accepit Sacrum Chrisma conficitur. V. Calendarium Romanum, saeculo V exaratum a MARTENE primum editum *Anecdot.* T. 5, pag. 63.

(1) *sublime oculos.* Ita HEINSIVS: *sub luce oculos* vulgata est lect., et apud GISEL. quam minime aspernabimur.

(2) *fastorumque arce potiti.* Nomina consulum in Fastorum libro referebantur, et annum signabant, quo magistratum gesserunt. Hinc vel ipsa vina in caveis seposita consulum nomen scriptum designant; atque adeo consulis nomen temporis index erat, quo in doliis cadisque erant inclusa. V. HORAT. *Lyricor.* III, 21 et 28.

(3) *cera numerentur et aere.* Qui non essent homines novi sed nobiles imaginum ius habebant maiorum suorum in locis publicis exponendi. Istiusmodi autem imagines vel statuae erant cera aut aere factae; praesertim vero cera effictas et dispositas in atriis domus quisque suae collocabant. Neque nobilibus superbia tumentibus pepercit IVVENALIS, *Sat.* VIII, 19, quum eos commonefacit:

« Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus. »

Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Ter centum sensisse senes legerentur in unum;
Servemus leges patrias: infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.
Adspice, quam pleno (1) subsellia nostra senatu
Decernant infame Iovis pulvinar, et omne
Idolium, longe purgata ex urbe fugandum:
Qua vocat egregii sententia principis, illuc
Libera tum pedibus (2), tum corde frequentia transit.
Nec locus invidiae est, nullum vis aspera terret (3),
Ante oculos sic velle patet: cunctique probatum,
Non iussum, sola capti ratione sequuntur.
Denique pro meritis terrestribus aequa rependens
Munera sacricolis summos impertit honores
Dux bonus (4), et certare sinit cum laude suorum;
Nec pago implicitos (5) per debita culmina mundi

(1) *Adspice, quam pleno* etc. Miror Ioann. Abertvm Fabricivm in hac fuisse sententia patres maiores fuisse, qui in Symmachi partes transissent, quam qui contra eius sententiam secuti essent.

(2) *libera tum pedibus.* Haec respiciunt senatum in suffragium iturum. Quum princeps senatus ordinem rogaret quid de quaque re sibi proposita quisque sentiret, quotquot eadem ipsa vellent, in senatoris locum pedibus ibant, qui disputaverat; si autem ab oratore dissentirent, in aliam senatus partem se convocabant.

(3) *nullum vis aspera terret.* Haec a poëta dicta sunt, ne quis putet id accidere, quod Iudaeis et veteribus superstitionibus addictis bene multis evenire consuevit, ut per vim ad religionis verae cultum cogerentur; quam rem vehementer improbavit S. Gregorivs Magnvs Epist. libri I, 45, et VII, 5, XII, 30.

(4) *Dux bonus.* Theodosium Magnum intellige, qui Symmachum consulem creavit an. CCCXLI. Vide sis supra vers. 410.

(5) *pago implicitos.* Qui dicerentur Pagani annotavimus Περὶ Στεφ. X, 296.

Ire viros prohibet: quoniam caelestia numquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.
Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
Contulit, auratumque togae donavit amictum,
Cuius religio tibi displicet (1), o pereuntum
Adsertor divûm, solus qui restituendos
Vulcani Martisque dolos Venerisque peroras,
Saturnique senis (2) lapides, Phoebique furores:
Iliacae matris Megalesia (3), Bacchica Nysi,
Isidis amissum semper plangentis Osirim (4)
Mimica, ridendaque suis solemnia calvis,
Et quascumque solent Capitolia claudere, larvas.
O linguam miro verborum (5) fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum, aeterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Praetulit, et liquidam temeravit crimine vocem.

(1) *Tibi displicet.* Ad Symmachum se convertit.

(2) *Saturnique senis lapides.* De Saturno, qui lapidem pro filio devoravit, vide hist. fabularum.

(3) *Iliacae matris Megalesia.* Pridie nonas apriles hic magni ludi fiebant. V. Ovid. IV *Fastor.* 179. Quo die putabatur Romam deo aducta ludi agebantur qui Megalenses erant dicti. — *Basilica Nysi.* Nysus nutricius Bacchi fuit, ex quo unum ex eius cognominibus Dionysius.

(4) *Osirim.* Minvcivs Felix, *in Oct. sui* cap. xxi, hunc Osiridis ritum memorat et non alium fuisse ab eo testatur, quem describit propheta Exechiel VIII, 14. V. Selden *De Diis Syr. Syntagm.* XI, c. X. Sacerdotes his ritibus addictos *calvos* appellat, quod dum sacra huiuscemodi operabantur, comam iubebantur sibi tondere.

(5) *O linguam miro verborum...* Debitas laudes adversario suo non invidit Prudentius, ut palam faceret non in illum odium exercuisse ullum, sed in perversam doctrinam quam tueretur. V. M. Villemaine, *Tableau d'Éloquence Chrétienne au IV Siècle.* De Symmacho autem et S. Ambrosio praecipue ibi pag. 506. *Paris Libraire Didier éditeur,* 1855.

Haud aliter, quam si rastris quis tentet eburnis
Coenosum versare solum, limoque madentes
Excolere aureolis si forte ligonibus ulvas,
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squalenti sordet in arvo.
Non vereor, ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniique putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi:
Non ausim conferre pedem, nec spicula tantae
Indocilis fandi coniecta lacessere linguae.
Inlaesus maneat liber, excellensque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.
Sed liceat tectum servare a vulnere pectus,
Oppositaque volans iaculum depellere parma.
Nam, si nostra Fides, saeclo iam tuta quieto,
Viribus infestis hostilique arte petita est,
Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas iactu pereunte sagittas?
Sed iam tempus, iter longi cohibere libelli,
Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.

LIBRI PRIMI FINIS

CONTRA SYMMACHII ORATIONEM

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

CONTRA SYMMACHVM

LIBRI SECVNDI

PRAEFATIO

Simon, quem vocitant Petrum,
Summus (1) discipulus Dei,
Lucis forte sub exitu,
Quum vesper croceus rubet,
Curvam vulserat ancoram,
Captans flamina linteis,
Et transnare volens fretum,
Nox ventum movet obvium,
Fundo (2) qui mare misceat,
Iactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus aetera
Plangens atque ululans ferit,

Iesvm Christvm fidenti animo Poëta precatur, ut quemadmodum benignus Petri pedum vestigia super mare trepide ambulantis firmavit, sic sibi fluctibus Symmachianae tempestatis pene obruto suppetias ferat, dextramque porrigat omnibus artubus contremiscenti. Carmen glyconium est, quod spondeo constat et pyrrichio, seu iambo.

(1) *Summus discipulus Dei.* Princeps discipulorum Petrus habetur, uti ex evangelistarum scriptis apparet.

(2) *fundo qui mare misceat.* Iam alias videor mihi memorasse, *mare* latiori sensu usurpari pro eo quod est magna aquarum extensio, uti apud Hebraeos יָם (iam). V. Hieron. in *Genes.* I, et *Diptycon*, XXXV.

Cum stridore rudentium:
Nec quidquam suberat spei,
Mergendis prope naufragis;
Quum Christum procul adspicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare,
Ac si per solidam viam
Siccum litus obambulet (1).
Haec miracula ceteri
Vectores (2) pavidi stupent.
Solus non trepidus Petrus
Agnoscit Dominum poli,
Terraeque, et maris invii (3):
Cuius omnipotentiae est
Plantis aequora subdere.
Tendit suppliciter manus,
Notum subsidium rogat.
Ast ille placide adnuens,
Puppi ut desiliat iubet.
Iussis obsequitur Petrus;
Sed vestigia fluctibus
Summis tinguere coeperat,
Et lapsante gradu pedes
Pessum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Quod sit non stabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Christum valeat sequi.
Tum dextra famulum levat.

(1) *obambulet.* Ambulet tutus, uti solent qui oblectationis causa huc illuc discurrant.

(2) *vectores.* Vector est qui vehit, ut portitor, rhedarius, etc. Sed saepiuscule qui vehitur vel in aliqua navi, vel plaustro, vel equo, pacta mercede. Hic de vectis, passive.

(3) *vel maris invii.* V. VIRG. *Aen.* IX, 130.

Sistitque, et docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me, tuta silentia (1)
Egressum, dubiis loquax
Infert lingua periculis:
Non ut discipulum Petrum
Fidentem et merito et fide;
Sed quem culpa frequens levem
Volvat per freta naufragum.
Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius,
Quam vitae in tenebris ago,
Puppem (2) credere fluctibus
Tanti non timeam viri (3);
Quo nunc nemo disertior
Exultat, fremit, intonat,
Ventisque eloquii tumet:
Cui mersare facillimum est
Tractandae indocilem ratis:
Ni tu, Christe potens, manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris ut impetus
Non me fluctibus obruat:
Sed, sensim gradiens, vadis (4)
Insistam fluitantibus.

(1) *tuta silentia. Tuta* est appositum aptissimum. Etenim *Ita sapere opus esse optimum, ut pro viribus Tacere ac fabulari tuto noveris.* ENN. (Fragm. Tragcd. 281).

(2) *puppem,* Synegd. pro: meas vires — *fluctibus* impotentibus; scil. periculis magnis, quibus occurro. — Hanc vocem *puppem* in quarto casu, ut in sexto nostrum in *e* desinere consuevisse notum est.

(3) *viri.... tumet.* Paucis Symmachi eloquentia depingitur.

(4) *vadis Insistam.* Haec *Georgicor.* III, 145 nobis in mentem reducunt: « et quatuor ausus Iungere equos, rapidusque rotis *insistere* victor ».

CONTRA SYMMACHI ORATIONEM

LIBER SECVNDVS

ADVERSARII OBIECTA REFELLIT *)

Hactenus et veterum cunabula prima deorum,
Et caussas, quibus error hebes conflatus in orbe est,
Diximus, et nostro Romam iam credere (1) Christo;
Nunc obiecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Vnde igitur coepisse ferunt, aut ex quibus orsum,
Quo mage sancta Ducum corda illice flecteret arte?
Armorum dominos, vernantes flore iuventae,
Inter castra patris genitos (2), sub imagine avita
Eductos (3), exempla domi congesta calentes,
Orator catus instigat, ceu classica belli
Clangeret, exacuitque animos, et talia iactat:
Si vobis vel parta, viri, Victoria cordi est,
Vel parienda dehinc; templum dea virgo sacratum
Obtineat, vobis regnantibus. Ecquis amicus
Hostibus, hanc vestro sancte negat esse colendam
Imperio, cui semper adest, quod laudibus implet?

*) *Refellit.* In hoc libro secundo Poëta totus est, ut quae potissimum ob oculos Imperatorum callidus proposuerat Praefectus Vrbi, satis superque refutet.

(1) *iam credere* CHRISTO. Sed CHR. CELLARIVS quodam codice innixus mavult: *legere*. Stet suis in opibus eruditus philologus.

(2) *inter castra patris genitos.* De quibus hic fratribus in castra patris genitis sermo sit, ne, amabo te, quaeras. Interpretes enim alii alia proferentes lectores patientes in tenebris relinquunt.

(3) *eductos* educatos. V. IVVENAL. Sat. X, 236.

Haec ubi legatus, reddunt placidissima fratrum
Ora ducum: «Scimus, quam sit Victoria dulcis
Fortibus, Ausoniae vir facundissime linguae.
Sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda
Novimus: hac primum pueros pater imbuit arte:
Hanc genitore suo didicit puer ipse magistro.
Non aris, non farre molae Victoria felix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia (1), cura,
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
Quae si defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria (2) pinnas
Explicet, et multis surgat formata talentis;
Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.
Quid, miles, propriis diffisus viribus, aptas
Irrita foemineae tibimet solatia formae?
Numquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quae tela virorum.
Vincendi quaeris dominam? sua cuique dextra est (3),
Et Deus omnipotens: non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque recincta (4),

(1) *violentia, cura.* Pene omnes cod. m. ss. et Heins., cui tamen in adnotat. magis placet cum Chamillard. *vigilantiae, curae.*

(2) *Victoria pinnas Explicet.* Victoriae simulacrum Romani effingebant pinnatum, lauri corona redimitum, altera manu palmae ramum, altera oleae praeferentem. Pinnatam vero et aligeram repraesentabant tamquam e caelo ad eos descendentem, quos suis vellet exornare successibus; pexo crine nudoque pede suspensam, strophiis revinctam, sinu vestis fluitante. V. Varron. L. L. X.

(3) *sua cuique dextra est.* Translate *dextera* pro magna vi usurpatur et in Sacris Litteris; pro virtute militari. Ita Heinsius cum prestantioribus. *Cuique* usurpatur dactilico pede in nostro, ut in L. I, 236 *Contra Symm.* et Hamartig. 105.

(4) *strophioque recincta.* Heinsius ad haec: « Codices nostri. « Sed *revincta* in Cauchiano, et Weitzianis plerisque; quod « praestat. Nam aliud quid designat *recingi?* Stat et pro nobis

Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.
Aut vos pictorum (1) docuit manus, adsimulatis
Iure poëtarum numen componere monstris:
Aut lepida ex vestro sumsit pictura sacello,
Quod variis imitata notis, ceraque liquenti
Duceret in faciem, sociique poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, sic cassa figuris
Somnia concipiunt et Homerus et acer Apelles,
Et Numa; cognatumque malum (2) pigmenta, Ca-
Idola conflavit fallendi trina (3) potestas. [menas,
Haec si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis
Ex tabulis cerisque poëtica fabula praestat?
Cur Berecynthiacus perdit (4) truncata sacerdos
Inguina, quum pulchrum poësis castraverit Attin?

« Cavchivs, auctoritate fretus veterum nummorum, in quibus « Victoria strophio revincta exprimatur ». Notat. in Libr. II, 35.

(1) *Aut vos pictorum . . .* Vos, Romani, in vestris numinibus repraesentandis imitandos vobis pictores proponitis, aut poëtas, qui magna excogitandi vi praediti hos, illosque deos per ludum effinxere.

(2) *cognatumque malum.* Eleganter et recte, uti animadvertit Theolivs noster, pigmenta malum cognatum Camoenarum a quibus poëta inducitur inter canendum. Plvtarchvs = de audiendis poëtis disserens statuit poëticam esse loquentem picturam, picturam vero mutam poëticam. V. Hor. *Ep. ad Pison.* 361.

(3) *trina potestas*, Heins. Gisel., *docta potestas.*

(4) *Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos Inguina...* Ita cum Theolio nostro, Gisel. et Heinsivs. De Cybele, aut Cybebe, Deorum matre, quam eandem Magnam Matrem vocarunt, Berecynthias cognominata est a monte et oppido Cybele in Phrygia; item de Attine puero spectatae pulchritudinis Cybele adamato vide sis hist. fabularum et Macrobium Spicil. Bibliograph. et equitem Francisc. Victorivm vir. eruditiss. in disputatione, cui titulus: = *Del culto di Cibele presso gli antichi Rom.* — Roma 1753. — Giselinvs. autem hunc versum: « *Inguina, quum pulcrum poësis, castraverit Attin.* » in hunc modum reconcinnavit: « *Inguina, quum pulcher se se castraverit Attin.* »

Cur etiam templo Triviae, lucisque sacratis
Cornipedes arceutur equi (1), quum Musa pudicum
Raptarit iuvenem (2) volucri per litora curru,
Idque etiam paries tibi versicolorus adumbret?
Desine, si pudor est, gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris:
Desine, terga hominis plumis obducere: frustra
Fertur avis mulier, magnusque eadem dea vultur.
Vis decorare tuum, ditissima Roma, senatum?
Suspende exuvias armis et sanguine captas,
Congere caesorum victrix diademata regum,
Frange repulsorum foeda ornamenta deorum:
Nunc tibi non terris tantum victoria parta,
Sed super astra etiam media servabitur aede.
Talia principibus dicta interfantibus (3), ille
Persequitur, magnisque tubam concentibus inflat (4):
Adlegat morem veterem: nîl dulcius esse
Adfirmat solitis; populosque hominesque teneri
Lege sua. Sicut variae nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animae: sic urbibus adfert
Hora diesque suum (5), quum primum moenia sur- [gunt,
Aut fatum, aut genium, cuius moderamine regnent.
Addit et arcanum rerum, verique latebras

(1) *Cornipedes arcentur equi.* Haec in rem suam derivavit noster ex Aeneidos Virgilianae libro VII, 770-771.

(2) *quum musa pudicum Raptârit iuvenem.* Hippolytum. V. περὶ Στεφ. XI, 87.

(3) *interfantibus* part. ab interfaris, fatus sum, ari; interpellantibus, interloquentibus.

(4) *magnisque tubam concentibus inflat.* Vt Claudianum MAMERCVM eloquentissimum extollat ita SIDONIVS APOLLIN.; *tuam tubam totus qua potuit orbis iure venerabitur.*

(5) *hora diesque suum.* Ex uno Thuianeo HEINS. *suis* describit. Nos *suum* sequimur, omnes fere codd. secuti, praeter unum, qui habet *suus.*

Prosperitate aliqua deprêndi posse, secundi
Per documenta boni, si sint felicia, quae quis
Experiendo probet, cessisse parentibus omne
Idolium semper feliciter, et pede dextro.
Enumerat longi vim temporis: excitat ipsam
Crinibus albentem niveis, et fronte vietam,
Ore reposcentem querulo sua numina, Romam.
Libera sum, liceat proprio mihi vivere more.
Et quis erit, qui mille meos reprehenderit annos?
Vno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viventibus aura.
Sed, qui sit, qualisque Deus, diversa secuti
Quaerimus, atque viis longe distantibus unum
Imus ad occultum. Suus est mos cuique genti (1);
Per quod iter properans eat ad tam grande pro-
[fundum ».
His tam magnificis, tantaque fluentibus arte,
Respondit vel sola Fides, doctissima primum
Pandere vestibulum verae ad penetralia (2) sectae.
Nam quum divinis agimus de rebus, et illum,
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quique chao anterior fuerit, mundumque creârit,
Coniectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii (3), tantoque angusta labori:
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi.

(1) *unus est mos cuique genti.* Ita legendum. V. Contra Symm. lib. I, 236.

(2) *verae ad penetralia sectae.* Vera secta est Religio Christianorum; secta namque, ut alias monuimus, a secando dicitur de schola, de hominum congregatione quae ab aliis secernitur. *Vera* est appositum perpetuum, quod christianae religioni convenit. V. 'Αποθ. Alia praefatio sub init. adnot.

(3) *exigua est vis Humani ingenii.* In Superbia tumentes, ob insignes mentis corporisque dotes, scripta sunt quae leguntur in Proverb. XXV, 27 et Sap. IX, 16.

Quis dubitet, victo fragilem lacessere visu,
Vimque fatigatae mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?
Sed facilis Fidei via provocat, omnipotentem
Credere, qui bona non tantum praesentia donat,
Sed ventura etiam, longisque intermina saêclis
Promittit; ne totus eam resolutus inane
In nihilum, peream que brevem post luminis usum.
Muneris auctores ipso de munere pendas.
Aeterna aeternus tribuit, mortalia confert
Mortalis: divina Deus, peritura caducus.
Omnia, quâe tempus peragit, quaeque exitus aufert,
Vilia sunt brevitate sui, nec digna perenni
Largitore, cui propria est opulentia, numquam
Desinere, idque homini dare, quod non desinat umquam (1).
Nam si corruptum, corrumpendumve Deus quid
Prestat, habetque nihil, quod sit pretiosius istis:
Pauper, et infirmus, et summo indignus honore,
Et non omnipotens, sed inanis numinis umbra est.
Hac ratione Fides sapienter coniicit, immo
Non dubitat, verum esse Deum, qui, quod sumus, et quod
Vivimus, inlaesum semper fore, si mereamur,
Nos sperare iubet. Caelestia si placet, inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantum subiecta situ tellus (2) iacet infra,

(1) *nunquam Desinere idque homini dare, quod non desinat unquam.* S. AVGVST. Serm. 158 de Verb. Apostoli Roman. VIII, 4, 7 ait: « *omnino me non satiaret Deus*, *nisi promitteret mihi seipsum Deum* ». Totum perlege Sermonem sancti doctoris; sed non praetereunda *Enarratio* eius in Ps. 111, ubi de omnibus rebus disserit eloquenter, quae ad animae satietatem minime conferunt.

(2) *subiecta situ tellus*, WEITSIVS, ALDVS et alii: *subiecta polo,* quae lectio reperitur in quibusdam m.ss. nostris.

Dividiturque ab humo convexi regia caeli,
Tantum vestra meis distant mundana futuris,
Dira bonis, scelerata piis, tenebrosa serenis.
Quidquid obire potest, fugiatis censeo: quidquid
Naturae ratione capit vitium, atque senescit,
Pro nihilo, in nihilum, quia sunt reditura, putetis.
Cuncta equidem, quae gignit humus, quae continet, ipsa
Principio institui, nitidoque insignia mundo
Ornamenta dedi, spediosaque semina finxi.
Sed tamen esse modum volui, parcisque fruenda
Moribus indulsi, quantum moribundus et aeger
Corporis ac vitae volucris sibi posceret usus:
Non ut captus homo studiis, et inaniter ardens,
Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum,
Et specie tenui, quas currere tempore iussi,
Atque aevum statui, sub quo generosa probarem
Pectora, ne torpens et non exercita virtus,
Robur enervatum (1) gereret sine laude palestrae.
Inlecebrosus enim sapor est et pestifer horum;
Quae, dum praetereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas, vinctasque tenent. Vicenda voluptas,
Elaquenda animi constantia: ne retinâclis
Mollibus ac lentis nexa et captiva prematur.
Luctandum (2) summis conatibus: inter acerba
Sectandum virtutis iter, ne suavia fluxae

(1) *robur enervatum.* Interdum noster ludit inter scribendum. Vide sis ἀντίθετον in *Cathemer.* VII, 14. Hic vero versus 143, 144 in uno ex Vaticanis ad hunc modum refinguntur: « Enervare suum corrupta per otia robur Posset, et in nullo luctamine pigra iaceret ».

(2) *Luctandum.* Heins. et cum eo plures. Gisel. *nitendum.* Vtraque lectio quadrat; etenim uti ipse Aligherius cecinit, S. Mathaeum secutus: « Regnum coelorum violenza pate ». — *Parad.* XX, 94. V. Matth. 11, 12.

Conditionis amet: nimium ne congerat aurum.
Nec varios lapidum cupide spectare colores
Ambitiosa velit, nec se popularibus auris
Ostentet, pulchroque inflata tumescat honore:
Ne natale solum, patrii ne iugera ruris
Tendat, et externos animum diffundat in agros:
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod vult, aut quod agit: ne praeferat utile iusto,
Spemque in me omnem statuat (1); numquam peri-[tura
Quae dedero, longoque die mea dona traenda.
Haec igitur spondente Deo, quis fortis et acer,
Virtutisque capax, breve quidque perennibus in se

(1) *Nam si tota mihi cum corpore vita peribit.* Locum pernobilem italicis modis aptatum in medium protulit BASILIVS VALSECHIVS in opere suo: « *I Fondamenti della Religione.* L. III, parte 1ª cap. VI. En eius interpretationis specimen:

« Poichè, se tutta insiem col corpo spenta
Cadrà mia vita, e di me parte alcuna
Non v'ha, che alla feral tomba sovrasti,
Chi per me più fia regnator de' cieli?
Chi formator dell'orbe? Chi fia Dio?
O pur quale il poter, che giustamente
Paventi io più? Da insano amor rapito
Scorrerò io strade impure, e i divietati
Talami brutterò: per me calcato
Sarà il sacro pudor; per me negato
Il deposito fia, che già il vicino
Senza alcun testimone alla mia fede
Diede in cura: rapace i meschinelli
Clienti spoglierò; la madre antica
Con magica canzon torrò di vita;
Poichè, se in lungo trae sua canutezza,
Al secondo padron tarda il dominio:
Nè pavento i castighi, e de' sovrani
La possanza io desidero: armata siede
La legge sì, ma il fallo occulto ignora;
Che, se pur si disveli, ecco coll'oro
Il giudice corrotto; assai di rado
Cade in collo dei rei giusta bipenne...

Praetulerit? vel quis sapiens potiora putârit
Gaudia membrorum, quam vivae praemia mentis?
Nonne hominem ac pecudem distantia separat una,
Quod bona quadrupedum ante oculos sita sunt? ego contra
Spero, quod extra aciem longum servatur in aevum.
Nam, si tota mihi cum corpore vita peribit (1),
Nec poterit superesse meum post funera quidquam,
Quis mihi regnator caeli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quae iam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros, fervente libidine, luxus:
Incestabo toros, sacrum calcabo pudorem:
Infitiabor, habens aliquod sine teste propinqui
Depositum: tenues avidus spoliabo clientes,
Longaevam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte secundum:
Nec formido malum: falluntur publica iura.
Lex armata sedet, sed nescit crinem opertum:
Aut, si res pateat, iudex corrumpitur auro.
Rara reos iusta percellit poena securi.
Sed quid ego haec meditor? revocat Deus ecce severa
Maiestate minax, negat interitura meorum
Per mortem momenta operum: Non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo (2): luet ille perenne
Supplicium, quod subiectos male rexerit artus.
Nec mihi difficile est, liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur (3)
More Noti: capiam tamen, et tormenta adhibebo

(1) *Spemque in me omnem statuat* ... Versum habemus hiscentem, sed codd. m.ss. confirmant; neque poëtae nostro istiusmodi hiatus infrequens.

(2) *non occidet, inquit, Interior qui spirat homo* ... V. Matth. X, 26.

(3) *quamvis perflabilis illa feratur*. Nos italice: « se bene tenue, sottile, se bene possa dal vento esser portato » V. Tvll. *De Divinit.* II, 18. et 'Αποθ. in exitu, 1084.

Ipse incorporeus (1), ac spirituum sator unus.
Quin et corporibus parilis consortia poenae
Decernam, possum quoniam renovare favillas
Antiquam in faciem. Nec desperanda potestas:
Qui potui formare novum, reparabo peremtum.
Non desunt exempla meae virtutis in ipsis
Seminibus (2). Natura docet revirescere cuncta
Post obitum: siccantur enim pereunte vigore
Quo vixere prius; tunc sicca et mortua sulcis
Aut foveis mandata latent, et more sepulcri
Obruta, de tumulis redivivo germine surgunt.
Numquid nosse potes, vel coniectare, quis istud?
Tam sollers opifex struat? aut quae vis agat intus?
Nîl vos, o miseri (3); physicorum dogmata fallant.
En, ego gignendi Dominus (4), ac restituendi,
Quod periit fluxitque, potens: arentia quaeque
In veteres formas aut flore, aut fronde reduco.
Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraque pristina constet,
Quae mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel summae virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacumque in sorte manebit.
Interea, dum mixta viget substantia in unum,
Sit memor auctoris proprii, veneretur et oret
Artificem submissa suum. Non condidit alter
Halantis animae figmentum, et corporis alter:

(1) *Ipse incorporeus* etc. HEINS. GISEL. aliique, ubi adnota pentemim.

(2) *mere virtutis in ipsis seminibus*. V. Καθημ. X, 121.

(3) *Nîl vos, o miseri* . . . In editione Giseliniana: *Ne vos, o miseri*.

(4) *En, ego gignendi Dominus*. De hac re operae pretium est quae HIPPOL. PINDEMONTIVS, VGONI FOSCOLO respondit, qui ei Carmen nuncupaverat: « I Sepolcri », in quo nempe genere et moribus et arte graecus poëta corpora nostra olim resurrectura diffideret.

Nec bona praesentis vitae numerosa gubernant
Numina; non alius segetes et spicea farra
Suppeditat Deus: aut alius dat musta racemis,
Purpureumque gravi fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas (1) pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas (2).
Duplex lege mea per mutua foedera sexus
Gignere amat sobolem (3), generisque propagine gaudet;
Quem vos lascivis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestra deae Veneris praetexitis umbra.
Vnus ego elementa rego, nec mole laboris,
Vt miser infirmusve aliquis fragilisve, fatigor.
Lux immensa mihi est, et non resolubilis aetas (4),
Sensibus et vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes sociosve requiro.
Porro autem angelicas legiones, qua mea fecit
Dextera, nosse meum est, et quae natura creatis
Subsistat, qualesque mihi serventur ad usus.
Tu, me praeterito, meditaris numina mille,
Quae simules parere meis virtutibus, ut me
Per varias partes minuas: cui nulla recidi
Pars aut forma potest: quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo. Solis divisio rebus
Compositis factisque subest: me nemo creavit,
Vt scindi valeam; cunctorum conditor unus.

(1) *virides oleas*. Oleas pro ramis oleaginis. V. Virg. VII, 154. Pallas autem Minerva caput gestabat corona oleaginea cinctum.

(2) *Lucinas horas*. Horas, quas Lucinae sacraverant Iunoni. Iuno Lucina appellabatur, quod nascentibus praeesset, et in lucem edituris faveret. V. Varr. L. L. IV, 10.

(3) *gigneret amat sobolem*. Ita in plerisq. editt.

(4) *et non resolubilis aetas*. Gisel. *non morte solubilis aetas*.

Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est (1).
Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
Meque unum venerare Deum: caementa remitto,
Et quae saxa Paros secat (2), et quae Punica rupes.
Quae viridis Lacedaemon habet, maculosaque Syn-
Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum: [nas.
Templum mentis amo (3), non marmoris, aurea in
[illo
Fundamenta manent fidei: structura nivali
Consurgit pietate nitens: tegit ardua culmen
Iustitia interius: spargit sola picta rubenti
Flore pudicitiae pudor almus, et atria servat:
Haec domus apta mihi est: haec me pulcherrima
[sedes
Accipit, aeterno caelestique hospite digna.
Nec novus hic locus est: fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei. Deus inlustravit alumnam
Materiem, corpusque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placido ut possit requiescere templo.
Condideram perfectum hominem: spectare superna
Mandâram: totis conversum sensibus in me
Recto habitu, celsoque situ, et sublime tuentem:
Sed despexit humum, seque inclinavit ad orbis
Divitias, pepulitque meum de pectore numen.

(1) *Crede, quod ex nihilo formari pars mea non est.* V. 'Αποθ. 420.

(2) *Templum meum amo.* In mentem revoca quae IOSEPHVS PARINIVS in ode cui titulus: « L'educazione » Imbonatio discipulo suo e gravi morbo renato. « *È duopo*, canit, *alzare Nell'alma il primo altare.*

(3) *Et quae saxa Paros secat:* ... De variis marmorum generibus et coloribus videndum quod scriptum congessit PLINIVS MAIOR H. Nat. L. XXXVI, 7, 11. Nemo unus tamen ex poëtie versibus eruat dedecere Aedes sacras et marmoribus et auro decorare, uti docent qui a Catholica doctrina recesserunt. V. CARD. BELLARMINIVM L. III, Cap. IV.

Restituendus erat mihimet, submissus in illum
Spiritus ipse meus descendit, et edita limo
Viscera divinis (1) virtutibus informavit,
Iamque hominem adsumtum summus Deus in dei- [tatem
Transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire velim, praecepta Patris quibus auribus haec tu
Accipias, Italae censor doctissime gentis.
An veterem tantum morem (2) ratione relicta
Eligis? et dici patitur sapientis acumen,
Ingeniumque viri? potior mihi pristinus est mos,
Quam via iustitiae, pietas quam prodita caelo,
Quamque fides veri, rectae quam regula sectae.
Si, quidquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos, habuit, sancte colere ac servare necesse est:
Omne revolvamus sua per vestigia saeclum
Vsque ad principium: placeat damnare gradatim
Quidquid posterius successor reperit usus.
Orbe novo, nulli subigebant (3) arva coloni.
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua rastri?
Ilignis melius saturatur glandibus alvus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum (4):
Decoquat in massam fervens strictura secures
Rursus, et ad proprium restillet vena metallum.
Induvias caesae pecudes, et frigida parvas
Praebebat spelunca domos: redeamus ad antra.
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta

(1) *Viscera divinis* . . . versus spondaicus.

(2) *An veterem tantum morem, ratione relicta, Eligis?* S. Cyprianvs Ep. ad Pompeium: « Consuetudo sine veritate vetustas erroris est ». Sed consule S. Ambrosii *Resp.* § 25.

(3) *orbe novo nulli subigebant* . . . Auream aetatem habes, de qua Virg. *Georg.* I, 125.

(4) *fissile lignum*. V. Virg. *Georg.* I, 144.

Edomiti, iam triste fremant, iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Praecipitet Scythica iuvenis (1) pietate vietum
Votivo de ponte patrem: sic mos fuit olim.
Caedibus infantum (2) fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus arae.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo:
Sic tradunt habitasse Remum, regalia feno (3)
Fulcra supersternant, aut pelle Lybistidis (4) ursae
Compositam chlamydem villoso corpore gestent:
Talia Trinacrius ductor (5), vel Tuscus habebant.
Roma antiqua sibi non constat, versa per aevum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis:
Multa colit, quae non coluit sub rege Quirno:
Instituit quaedam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit: et quae,
Pridem condiderat iura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane senator,
Objectas? quum scita patrum populique frequenter
In tabulis placiti sententia flexa novârit?
Nunc etiam, quoties solitis decedere prodest,
Praeteritosque habitus cultu damnare recenti,

(1) *Scytica iuvenis pietate.* Olim Scytae senes parentes de collibus vel pontibus praecipites deiiciebant, eorumque carnibus vexebantur; ea erat populi illius pietas! Hinc *Scyticum convivium,* V. Lucian. « *De amic. et luct.* »

(2) *Coedibus infantum.* Aegyptii, Cananei, aliique e veteribus populis nonnulli ἀνθρωποφάγοι, qui humanis carnibus saturarentur, pueros deligebant, quos immolarent diis. V. Athen. L. IV: tum Genebrard. in Psalm. CV, 37, et 395 libri precedent.

(3) *regalia feno Fulcra.* Heins. *regalia foeno fulcra* Gisel.

(4) « *aut pelle Lybistidis ursae* ». Virgilianum est. V. Aeneid. V, 37; et VIII, 368.

(5) *Trinacrius ductor, vel Tuscus.* Acestes, filius qui fuit, in fabulari historia Crinisi fluminis Siciliae, et Aegistae foeminae Troianae. — *Tuscus,* Evander.

Gaudemus compertum aliquid (1), tandemque retectum,
Quod latuit: tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.
Sic aevi mortalis habet se mobilis ordo:
Sic variat natura vices (2); infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque animusque,
Sanguine praecalido fervet nervosa iuventa:
Mox stabilita venit maturi roboris aetas,
Vltima consiliis melior, sed viribus aegra,
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora duxit
Curriculis aevum mutabile: sic hebes inter
Primitias, mersumque solo (3), ceu quadrupes, egit.
Mox tenerum docili ingenio, iamque artibus aptum
Noscendis, varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis calidos adolevit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, ut iam sapiat divina, serenae
Mentis consilio, vivacius abdita sollers
Quaerere, et aeternae tandem invigilare saluti.

(1) *Gaudemus compertum aliquid.* En hic breviter in rebus humanis progressus et ascensus, unde artes et scientiae in maius provehuntur. Sed genus mortalium perfectibile est; non autem perfectionem eam in actibus suis assequi unquam poterit, ut somniarunt quidam philosophi. Deus unus, aeternus, immortalis, perfectus est.

(2) *Sic variat natura vires.* Hominis aetatem, naturam et mores Aristoteles belle depingit in Rhetoricor. L. II, cap. 12, 13, 14 ad quae respexit Horat. ad Pis. 156 - 176.

(3) *sic hebes inter Primitias mersumque solo, ceu quadrupes egit.* In uno ex Vaticanis codd. et in quibusdam Weitzianis haec lectio occurrit: . . « sic hebes inter

Primitias, mersumque solo titubavit, et instar
Quadrupedes pueri laetantia viscera traxit.

Probatissimus quisque ex nostris codd. nihil tale habent; et Heinsivs haec resecanda, ut superflua, docet.

Quamquam, si tantus amor est et cura vetusti
Moris, et a prisco placet haud discedere ritu,
Exstat in antiquis (1) exemplum nobile libris,
Iam tunc diluvii sub tempore, vel prius, uni
Inservîsse Deo (2) gentem, quae prima recentes
Incoluit terras, vacuoque habitavit in orbe.
Vnde genus ducit nostrae porrecta propago
Stirpis, et indigenae pietatis iura reformat.
Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo, tempore longo (3)
Non multos coluisse deos, rarisque sacellis
Contentum, paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde deos, virtute subactis
Vrbibus, et claris peperit sibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans (4) ceu numina, vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
Illud ab incensis in praedam sumsit Athenis.
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini (5)
Effigies, quasdam domitis Hammonis (6) arenis.

(1) *Extat in antiquis libris.* In libro *Geneseos*, qui omnium antiquissimus est.

(2) *uni Inservîsse Deo. gentem.* Semi, filii Noe, familia pientissima, in qua germanus Dei cultus permansit.

(3) *tempore longo Non multos coluisse deos.* Praestat hic S. Avgvstini Librum adire : = *De Civitate Dei* = tertium cap. XII, et Librum IV, cap. 31, ubi ostenditur quot sibi Romani deos creârint, quorum maximus numerus, praeter eos quos rex Numa constituisset, nullo sibi adiumento fuit.

(4) *Et captiva domum venerans.* Vide sis S. Avgvstini : = *De consiliis Evangel.* = L. I, cap. 12.

(5) *capitis Cleopatra canini Effigies.* Anubis Aegyptiorum deus, qui facie canina effingebatur, ideoque *Cynocefalus* . . . . appellatus, idemque *latrator* apud Virg. Aeneid. VIII, 698. V. Ovidii Metam. IX, 691. De quo arnob. VI.

(6) *Hammonis*, vel *Ammonis Iovis.* Hammon fuit Iuppiter Lybicus, cuius caput cornibus instructum fuit.

Syrtica cornutas facies habuere tropaea.
Roma triumphantis quoties ducis inclita currum
Plausibus excepit, toties altaria divûm
Addidit, et spoliis sibimet nova numina fecit:
Numina, quae patriis cum moenibus eruta, nullum
Praesidium potuere (1) suis adferre sacellis.
Cernis, ut antiqui semper vestigia moris
Gressibus incertis varie titubasse probentur,
Adsciscendo (2) deos maioribus incompertos,
Seque peregrina sub relligione dicâsse,
Nec ritus servasse suos? quodcumqe sacrorum est,
Exsulat, externumque inimicam venit in urbem.
Frustra igitur solitis, prava observatio, inhaeres.
Non est mos patrius, quem diligis, improba non est.
Sed sollers orator ait: Fataliter Vrbem (3)
Sortitam, quonam Genio proprium exigat aevum.
Cunctis nam populis seu moenibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut Genius (4), nostrarum more anima-[rum,
Quae sub disparili subeunt nova corpora sorte.
Iam primum, qui sit Genius, vel qui status illi
Competat, ignoro: quid possit, et unde oriatur
Spiritus informis, sine corpore, formave, an ulla
Sit species, et quid sapiat, quae munera curet:
Contra, animas hominum venis vitalibus intus

(1) *Adsciscendo etc.* Versus spondaic.

(2) *nullum Praesidium potuere...* S. Avgvst. ad Romanos conversus loc. cit.: « Occulta Dei veri voluntate, sibi datum et auctum regnum, non illorum deorum favore, qui si aliquid in hac re potestatis habuissent, suos potius protexissent... »

(3) *fataliter Vrbem Sortitam...* Tvllivs « *De Divinat.* L. II » istiusmodi opinionem maximis erroribus probat esse connumerandam.

(4) *Aut fatum aut Genius.* Fictorum numinum cultores perversas de fato opiniones habuisse constat, easque S. Avgvstinvs omnino refutavit.

Sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
Accipiat motumque levem, tenerumque vaporem.
Vnde pererratis vegetet praecordia membris,
Frigida succendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis vitam sibi temperat atque gubernat
Vivida mens, quam tu ficto componere tentas
Murorum Genio (1), qui nusquam est, nec fuit umquam.
Quin et corporibus versat mens viva regendis
Summum consilium, fida ut tutacula nudis
Invalidisque paret, metuenda pericula vitet:
Vtile prospiciat, varias agitetur ad artes;
Consultet, cui se domino submittat, et orbis
Quem putet auctorem, quem rerum summa sequatur.
At tuus hic urbis Genius, dicas volo, quando
Coepit adhuc parvae primum se infundere Romae,
Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis,
Infantesque aluit (2), dum nascitur ipse, gemellos?
An cum vulturibus volitans (3) ignota per auras
Vmbra (4), repentinam traxit de nube figuram?

(1) *quam tu ficto componere tentas Murorum Genio.* Detortam hanc sibi veteres opinionem indiderant, non tantum singulis hominibus et familiis, sed etiam civitatibus Spiritum quemdam adesse, qui aedes, qui urbes, regnaque tutarent, quique Genius hominis vocabatur, aut loci quem incoleret. V. infra v. 444, et seqq. tum LACTANT. Edit. Gallei L. II, p. 219. De Geniis autem, seu diis Tutelaribus, Patriis, Laribus ac Penatibus disseruit latissime IACOBVS ODE: « Comment. de Angelis ». sect. VIII, c. 111.

(2) *Infantesque aluit . . . gemellos.* Remum et Romulum.

(3) *An cum vulturibus volitans.* Lege T. LIV. I, 7 et RAPH. FABRETT. v. cl. « De Columna Traiana cap. IX pag. 302, ubi unum nomisma perantiquum illustrat in quo Roma conspicitur galeata, cuius lupa est ad pedes, et utrimque gemini vultures circumvolitantes.

(4) *An cum vulturibus volitans ignota per auras Vmbra.* Haec ita CHAMILLARDVS in paraphrasi sua reddidit: « An vero

Culminibus summis sedet, an penetralia servat?
Instituit mores, et iura forensia condit?
An castrorum etiam fossis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem?
Quae quis non videat sapientum digna cachinno?
Fingamus tamen esse aliquam, quae talia curet,
Vmbram sive animam, per quam respublica fatum
Hauserit, et calidis animetur tota medullis.
Cur non haec eadem de relligione colenda
Consultat? cur non suspectat libera caelum?
Cur sibi praescriptum non commutabile fatum,
Vt captiva, putat? genesis cur vincula fingit (1)?
Cur iam nolle licet, quod tunc voluisse licebat,
Erroresque abolere suos, ac flectere sensus?
Sic septingentis erravit circiter annis,
Lubricaque et semper dubitans, quae forma placeret
Imperii, quae regnandi foret aequa potestas.
Regius exortam iam tunc habuit status Vrbem,
Non sine grandaevis curarum in parte locatis.
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
Clavum consilii: plebeias inde catervas
Collatas patribus mixtim ditionibus aequis,
Imperitasse diu, belloque et pace regendis.
Consule nobilitas viguit: plebs fisa tribuno est (2).
Displicet hic subito status, et bis quina creantur
Summorum procerum fastigia (3), quos duodeni

cum umbra ignoti Romae volitans per aerem cum vulturibus assumpsit de repente formam ex nube? »

(1) *genesis cur vincula fingit?* A Latinis γένεσις accipitur pro sidere natalitio, sub quo quis natus est, et ex quo vitae futurae sortem portendi putabant. V. Ivvenal. Sat. VI, 578; Sveton. *Vespas.* XIV.

(2) *plebs fisa tribuno est.* Fisa part. a fido, is. Italice: che si affida, che sta a . . ., ut apud Ovid. *Met.* XV, 827. Lvcan. V, 577.

(3) *bis quina creantur . . . fastigia.* Decemviri sunt, de quibus narrat Livius L. III, 42.

Circumstant fasces: simul et sua quemque securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, et consulibus dat condere fastos.
Ultima sanguineus turbavit saecla triumvir (1).
Fluctibus his olim fatum, Geniusve, animusve
Publicus erravit: tandem deprêndere rectum
Doctus iter, caput augustum diademate cinxit (2),
Appellans patrem patriae, populi atque senatus
Rectorem, qui militiae sit ductor, et idem
Dictator, censorque bonus, morumque magister (3),
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
Quod si tot rerum gradibus toties variatis
Consiliis, aegre tandem pervenit ad illud
Quod probet, ac sancto reverentia publica servet
Foedere: quid dubitat divina agnoscere iura,
Ignorata prius sibimet, tandemque retecta?
Gratemur, iam non dubitat; nam subdita Christo
Servit Roma Deo, cultus exosa priores.
Romam dico viros, quos mentem credimus urbis,
Non Genium, cuius frustra simulatur imago.
Quamquam cur Genium Romae mihi fingitis unum?
Quum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Adsignare suos Genios? perque omnia membra
Vrbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?

(1) *sanguineus . . . triumvir*. Sanguineus, passive sanguine respersus: nos = *sanguinoso*. = Hic active est sanguinolentus, sanguinis cupidus; et M. Antonio epith. convenit, teterrimae proscriptionis auctori.

(2) *caput augustum diademate cinxit*. Vt omnes incipientis imperii dignitates uno verbo collatas complecteretur Caesar AVGVSTI est nomine donatus. V. TVLL. Philipp. I, cap. 2; SVET. vit. Claud. XVI.

(3) *morumque magister*. Magister morum fuit Censor. Ad mores nostros si vocem accomodare velimus, eum diceremus: *chi sopraveglia ai costumi*; et etiam: *il Direttore spirituale* ephebei cuiuspiam.

Restat, ut et fatum similis dementia cunctis
Aedibus imponat, paries ut quisque sub astro
Fundatus structusque suo, qua sorte maneret:
Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Adscribunt saxis, Lachesis (1) male fortia fila,
Tectorumque trabes fusis pendere rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis:
Ceu distet, cuius stellae sit fraxinus ortu
Eruta, quae summum conscenderet ardua culmen.

Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem,
Quae quia constituunt, dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis (2): aut cur rubrica minetur,
Quae prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, et inevitabile mergunt.
Quin et velle adigunt, pravum insinuantia votum,
Ne liceat miseris vetitum committere nolle.
Cedite, si pudor est, gladiumque retundite vestrum:
Aspera nîl meritos poenis plectentia iura:
Antrum carcereum dissolvite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt, quod vivitur, ac fit:
Immo nocens (3), quicumque volens, quod non licet, [audet,

(1) *Lachesis* una fuit e tribus filiabus Erebi et Noctis, de quibus V. Hyginvs. Eius nomen est a λαγχάνω, quod ipsam finxerunt praeesse tempori futuro hominis cuiusque, sive felici, sive calamitoso.

(2) *Bis sex in tabulis*: Duodecim tabularum decemviralium fragmenta adhuc supersunt. Has leges amplissimis laudibus effert Tvllivs in libris: « *De Oratore* — *Rubrica* autem est inscriptio, titulus, lemma cuiuslibet scriptionis rubro colore capitulatim res designans, quae infra scripta leguntur. Ivven. Sat. XIV. 192 ait: « perlege rubras
Maiorum leges. » —

(3) *Immo nocens quicumque volens* etc. V. *Hamartig.* 688. et S. Avgvst. = De Civit. Dei = L. V, c. 9.

Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumque nefas et facta rependit
Impia suppliciis, merito, non sorte peremtus.
Quisque putat fato esse locum, sciàt, omniparentem
Esse Deum, nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis praescripto aliquo pia vota repelli.
Spirat enim maiora animus, seque altius effert
Sideribus, transitque vias et nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quaecumque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades, omne hominum genus, huc concurrite et [urbes:
Lux immensa vocat; factorem noscite vestrum.
Libera secta patet (1), nil sunt fatalia: vel si
Sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.
Sed multi duxere dei per prospera Romam:
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age, bellatrix, quae vis subiecerit, ede,
Europam Libyamque tibi: dic nomina divûm.
Iuppiter (2), ut Cretae domineris, Pallas, ut Ar- [gis,
Cynthius ut Delphis; tribuerunt omine dextro.
Isis (3) Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit.
Venatrix Ephesum virgo, Mars dedidit Hebrum:
Destituit Thebas Bromius, concessit et ipsa
Iuno suos Phrygiis (4) servire nepotibus Afros;
Et quam subiectis dominam dea gentibus esse,

(1) *Libera secta patet*. Quo sensu secta intelligenda sit, vide, amabo te, in alia Praefat. Ἀποθεώσεως, adnot. 3.

(2) *Iuppiter* etc. Numina hic enumerat, quae in variis urbibus colerentur, priusquam in Romanorum ditionem essent redactae. V. Sidonium *Apollin*. Carm. IX.

(3) *Isis Nilicolas* etc. V. Ψυχ. 656.

(4) *Phrigiis . . . nepotibus*. Scil. Romanis.

Si qua fata (1) sinant, iam tum tenditque fovetque;
Iussit Romuleis addictam vivere frenis.
Perfidiane deûm indigenûm (2) cecidere tot urbes?
Destructaeque iacent ipsis prodentibus arae?
O pietas, o sancta fides! traduxit alumnos
Maiestas infida locos, et creditur istis
Numinibus, quae transfugio meruere sacrari?
An voluit servare suos, luctataque multum
Relligio infestas tentavit pellere turmas,
Romanis obnisa globis? sed fortior illam
Virtus luctifico camporum in pulvere fregit?
Immo ita est (3), armis et viribus indiga veri
Victa superstitio est, et inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
Natae ad procinctum (4) victoria, frangere inertes,
Moliiaque omnigenûm colla inclinare deorum.
Tunc cum Dictaeis bellum Corybantibus (5) asper

(1) *Si qua fata sinant . . .* Versus ex Aeneid. I, 18 huc derivatus.

(2) *Perfidiane deûm indigenum.* Indigenus, ab indigena, ae, vox est quae indicat genitum quidquam in eo loco, ubi quis degit, graece αὐτόχθων. Deos igitur indigenos nos diceremus deos gentis alicuius proprios; quos populus speciatim coleret, deos nationis propriae V. Apvl. I Metamorph. Vtrum indigeni et indigetes Dii distinguerentur, V. Serv. in II Georgic.; et Macrob. in Somnio Scipionis.

(3) *Immo. ita est.* Sic cod. m.ss. et Heinsivs, qui tamen adnotat: « tolle τὸ *id;* et hiatum relinque, auctoribus optimis membranis. Iam millies id monitum ».

(4) *genti Natae ad procinctum.* Nos diceremus: *Ad un popolo nato al battagliare.* Procinctum graece παρασκευὴ est apparatus militaris, quo se milites ad pugnam instruere consueverunt. Hinc dictio: in procincto, vel in procinctu esse, pro eo quod est: in eo esse, ut quis pugnam instauret. V. nostrum Hamartig. 916.

(5) *ut cum Dictaeis Corybantibus.* Est in Montfavconio monumentum romanum illustratum, ubi Iuppiter infans conspicitur a Corybantibus in insula Creta nutritus; quae, ne Saturnus

Samnitis, Marsusque levi sudore gerebat.
Tum mastigophoris (1), oleoque et gymnadis arte
Vnctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus:
Nec petaso insignis poterat, Lacedaemone capta,
Mercurius servare suas de clade palaestras (2),
Apenninicolam (3) peditem Cybeleïus hostis
Congressu excipiens, Asiam defendere et Idam
Qui potuit, cogente acies in proelia Gallo (4)?
Idalias nisi forte rosas, laurum citharoedi
Vatis (5), silvicolae calamos arcumque puellae
Dedere servitio, calcataque sacra domare
Difficilis operis fuit, immensique laboris.
Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
Aegypto dederat, clangebat buccina contra.
Institerant tenues cumbae, fragilesque faseli
Inter turritas Memphitica rostra Liburnas:
Nil potuit Serapis deus, et latrator Anubis (6).

vagitum parvuli filii exaudiret, tympano suo indesinenter percuterent, inconditos bombos edentes

(1) *Tum mastigophoris.* Servus agonothetae erat μαστιγόφορος (flagellifer), seu quidam lictor, qui in sacris certaminibus agonothetam comitabatur, virgam praeferens ad turbam submovendam, et cohibendum strepitum, spectatorumque insolentiam. A μάστιξ flagellum, et φέρω gero.

(2) *Mercurius servare suas de clade palaestras.* Gymnasia Mercurio Spartani dicaverant, ut artis palaestricae auctori.

(3) *Apenninicolae.* Apennini incolae V. Virg. Aen. XI. 700.

(4) *cogente acies in proelia Gallo.* Galli erant Sacerdotes Cybeles. Cum omnes hi essent evirati, Galli interdum ponuntur pro mollibus viris et pro effeminatis, nullius pretii. V. Περὶ Στεφ. X, 197.

(5) *Idalias nisi forte rosas, laurum citharoedi Vatis* etc. In monte Idalio prope Cyprum rosae et columbae erant Veneri sacrae, laurus Apollini; silvicolae Puellae, scilicet Dianae venatrici calami et arcus.

(6) *Nil potuit Serapis deus, et latrator Anubis.* Noster corripuit secundam *Serapis* licenter.

Stirpis Iulêae ductore (1), exercitus ardens
Praevaluit, Boreae quem miserat algidus axis.
Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva
Venere auxilio: non divûm degener ordo,
Et patria extorris, Romanis adfuit armis.
Victus et ipse prius, inimica nec agmina iuvit:
Si tamen antiquum nôrat retinere dolorem.
Sed dicis, legisse deos, ubi sanctior usus
Templorum cultu celebri sine fine maneret;
Aeneadumque ultro victricia signa virorum
Regis amore Numae (2), nullo cogente, secutos.
Num Diomedis item tentoria, et acris Vlyxî (3)
Castra volens Pallas (4), caesis custodibus arcis,
Legit, ubi humenti sudaret maesta sigillo?
Aut quoties ductor Macetûm (5) fortissimus altos
Templorum cineres victis cumulavit Amyclis (6):
Optârunt praedis domini se numina capta
Misceri, Assyriaeque vehi Babylonis ad arcem?
Non fero, Romanum nomen, sudataque bella,
Et titulos tanto quaesitos sanguine carpi.
Detrahit invictis legionibus, et sua Romae

(1) *Stirpis Iulëae ductore.* Octavianus Caesar, cui noster exercitum tribuit, praevaluit magna militum vi fortis, qui ex gelido axe ad se convenerant.

(2) *Regis amore Numae.* V. vers. 46 libri superioris.

(3) *Vlyxî* vel *Vlyssei.* Acer ob eius sagacitatem et sollertiam. De Vlyxe et Diomede eius amicissimo V. *Iliad. Homericam*, et Virg. XI, 173.

(4) *Num Diomedis item tentoria et acris Vlyxi Castra volens Pallas... Legit:* Ergone etiam Pallas, cuius simulacrum Diomedes et Vlyxes surripuerunt, Graecorum castra elegit, quo ubi fuit adducta. prae tristitia sudavit? V. Virg. Aen. XI, 173.

(5) *Ductor Macêtum.* Alexander rex Macedonum, qui Macêtae apud poëtas praesertim sunt dicti. V. Lexic. Christoph. Cellarii.

(6) *victis cumulavit Amyclis.* Victa in bello Macedonico Lacedaemone, cui Amyclae erant proximae. V. Sil. Ital. 111, 434. — Gisel. qui in edit. sua Parisina orae: «*ab Indis*» adiecit.

Praemia deminuit; qui, quidquid fortiter actum est,
Adscribit Veneri, palmam victoribus aufert.
Frustra igitur currus summo miramur in arcu (1)
Quadriiugos, stantesque duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos:
Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
Ad iuga depressos, manibusque in terga retortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco;
Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, Mitridatem,
Flora, Matuta, Ceres et Larentina subegit.
His tamen auspicibus successus dextra dederunt
Omina laetificos, et felix adfuit ales.
Quid sibi vult virtus? quid gloria? si Corvinum
Corvus Apollineus (2) penna vel gutture iuvit?
Sed tamen hic corvus cur defuit exitiali
Forte die, infaustas tegerent quum funera Cannas,
Oppeteretque super congesta cadavera consul?
Cur Cremerae in campis cornice vel oscine parra (3),
Nemo deûm monuit perituros Marte sinistro
Tercentum Fabios, vix stirpe superstite in uno?
Nullane tristificis Tritonia noctua Carris (4)

(1) *summo miramur in arcu.* In ea parte triumphalis currus, quae arcuatim curvam formam praesefert, insculpti conspiciuntur duces, captivorumque vexilla.

(2) *corvus Apollineus.* scil. Apollini consecratus a Romanis. Iamvero corvus fertur pronepoti M. Valerii Poplicolae, cum in singulari certamine contra militem Gallum digladiaretur, alis rostroque adiumento fuisse, plane ut vinceret. Vnde eius cognomen Corvini. V. Liv. VII, 26.

(3) *Cremerae in campis cornice, vel oscine parra.* Avis est parra, vel apud Heins. *parrha,* mali ominis. Eam memorat Hor. Lyricor. III, Ode 27.

(4) *Tritonia noctua Carris Advolitans.* Noctua Palladi fuit sacra, Athenarum praesidi, propter vigilantiam in Litterarum studiis; Minerva autem Pallas fuit cognominata, vel quod hastam suam gestaret, vel quod in Pallante Africae palude eam ortum habuisse dicunt. — *Carris.* Carrae, aut Carrhae, arum; urbem fuisse putant penes Assyrios, quae in Sacris Litteris *Charam*

Advolitans, praesto esse deam praenuntia Crasso
Prodidit? aut Paphiam (1) niveae vexere columbae,
Cuius inauratum tremeret gens Persica limbum (2)?
Sed video, quae te moveant exempla vetustae
Virtutis: dicis domitum terraque marique
Orbem: res laetas et prospera quaeque retexis:
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductaque per mediam spoliorum fercula Romam.
Vis dicam, quae causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? quîs gloria fotibus aucta
Sic cluat (3), impositis ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos, et dissona cultu
Regna volens sociare Deus (4), subiungier uni (5)
Imperio, quidquid tractabile moribus esset,
Concordique iugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Relligionis amor: nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Sola Deum novit concordia, sola benignum

appellatur, ubi Crassus a Parthis fuit praelio devictus. LVCANVS in Phars. I, 105 ita cecinit:

« Assyrios Latio maculavit sanguine Charras. »

(1) *aut Paphiam* . . . In monte Cypri insulae Paphos urbs perantiqua fuit, ubi Veneris columbae, et templum sacrum. De Papho V. VIRG. Aen. I, 415.

(2) *inauratum limbum*, ISONIVS *limbum* oram vestimenti interpretatur, quam nos Itali = l'*orlo*. FABRICIVS alio sensu; et *nimbum* legit GISEL.; *lembum* alii.

(3) *quis gloria fotibus aucta Sic cluat?* A verbo foveo, es, fotum, fovere Fotus, us, est fomenti actus, et fomentum. Italice: *fomento. riscaldamento;* in sexsto casu veteres vetustiss. usurpavere plerumque. Hic noster transl., qui proprie ea voce usus est in Ἀμαρτ. 304. — *cluat*, archaism. V. CHATEM. IX, 10.

(4) *Discordes linguis populos*, et *dissona cultu Regna volens sociare Deus*. V. Περὶ Στεφ. II, 425 et seqq.

(5) *subiungier uni*. Παραγ.

Rite colit tranquilla Patrem: placidissimus illum
Foederis humani consensus prosperat orbi,
Seditione fugat, saevis exasperat armis:
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.
Omnibus in terris, quas destinet occidualis
Oceanus, roseoque aurora inluminat ortu,
Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armâratque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit, sub legibus îsdem,
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum (1) quos interlabitur, et quos
Gangis (2) alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
Ius fecit commune pares, et nomine eodem
Nexuit, et domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Cives congenitos concludat moenibus unis
Vrbs patria (3), atque omnes lare conciliemur avito.
Distantes regione plagae, divisaque ponto
Litora, conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia et artes
Ad coetum celebrem, nunc per genialia fulcra

(1) *Corniger Hesperidum.* Isonivs: *Corniger Padus*; Cellar. autem; *Tiberis* ex Virg. Aen. VIII, 77.

(2) *Gangis*, pro eo quod est *Ganges;* quia noster saepe nomen in *es* desinens in *is* terminat, uti alias monuimus.

(3) *Vrbs patria.* — Roma communis patria habetur. Quare Seneca *Consol. ad Helv.* matrem: « Deinde ab hac civitate discede, quae veluti communis patria potest dici. » Postquam vero Christiana religio longe lateque per terrarum orbem est prolatata, et in mortalium genere quisque potuit se adfirmare

. . . . « cive
Di quella Roma, onde Cristo è Romano, »

(Dante, Purg. XXXII, 102-3), tunc enimvero Prosper. Aqvitan. potuit verissime confirmare, quae notavimus infra ad vers. 661.

Externi ad ius connubii: nam sanguine mixto
Texitur alternis ex gentibus una propago (1).
Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii: Christo iam tunc venienti,
Crede, parata via est, quam dudum publica nostrae
Paci amicitia struxit moderamine Romae.
Nam locus esse Deo quis posset in orbe feroci,
Pectoribusque hominum discordibus, et sua iura
Dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disiunctasque animi turbato foedere partes,
Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat.
At si mentis apex, regnandi iure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus fibrasque rebelles
Frenet, et omne iecur ratione coërceat una:
Fit stabilis vitae status, et sententia certa
Haurit corde Deum, domino et subiungitur uni.
En ades, Omnipotens, concordibus influe terris:
Iam mundus te, Christe, capit, quem congrege nexu
Pax et Roma tenent: capita haec et culmina rerum
Esse iubes, nec Roma tibi sine pace probatur.
Et, pax ut placeat, facit excellentia Romae,
Quae motus varios simul et ditione coërcet,
Et terrore premit: nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec saecula sensit,
Nec tremulis, quum bella vocant, capit arma lacertis:
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quam vult praenobilis ille senator,
Orandi arte potens, et callida fingere doctus,

(1) *nam sanguine mixto Texitur alternis ex gentibus una propago.* Ad locum devenimus, in quo elucidando interpretes mira eruditionis mole lectoribus molestiam adferre conantur. Nobis satis sit adnotasse, legibus de iungendis civibus iubentibus aut vetantibus omissis, iam aetate Prudentiana sanguinem Romanum fuisse maculatum, et barbaricis originibus permixtum.

Mentitumque gravis personae inducere pondus:
Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato (1),
Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhe-
[let (2) ». —
Si vocem simulare licet, nempe aptior ista
Vox Romae est, quam nunc eius sub nomine pro-
[mam (3).
Quae, quia turpe putat templorum flere repulsam,
Aegidaque in dubiis pro se pugnâsse periclis (4)
Dicere, seque gravem senio inclinante fateri,
Ductores complexa suos, sic laeta profatur:
O clari salvete duces (5), generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Caniciem (6), nam quum mortalia cuncta vetustas

(1) *Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato.* De Aeschylo HORAT. Ep. ad Pison. 278. ait « post Thespin
« personae pallaeque repertor honestae
« Aeschylus et modicis instravit pulpita lignis,
« Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno ».

(2) *crimen anhelet.* Sunt qui: *carmen anhelet.* Nos cum HEINS. GISEL. ceterisque melioris notae editoribus *crimen* legimus. Etenim vel apud veteres Thaliae cultores elegantiores fabulas tragicas non tam carminibus videmus quam criminibus implere anhelantes. Haec fere ISAACVS GRANGAEVS in adnott. ad hunc librum prudentianum.

(3) *Vox Roma est, quam nunc eius sub nomine promam.* — Hic noster ad figuram accedit rhetoric. quae Graecis fuit προσωποποιΐα, latinis *sermocinatio*, per quam, uti habet FABIVS (IX, 2, 32) — « *urbes etiam populique vocem accipiunt* » — V. AVCT. ad HERENN. 4, 52.

(4) *Aegidaque in dubiis pro se pugnasse periclis.* Aegida graeca positione pro aegidem latine. Aigide, seu pelle caprina tectus Iuppiter luctabatur. Etiam Pallas hac lorica utebatur. Hinc pro scuto.

(5) *O clari salvete duces.* Ad Arcadium Honoriumque se convertit poëta, sub quibus contra Symmachum heroicum hoc poëma perscripsit. V. supra V. 7; et infra 710.

(6) *Canitiem.* HEINS. *caniciem;* sed plerique omnes *ci* in *tau* convertunt.

Imminuat, mihi longa dies aliud parit aevum,
Quae, vivendo diu, didici contemnere finem.
Nunc nunc iusta meis reverentia competit annis :
Nunc merito dicor venerabilis, et caput orbis (1),
Quum galeam sub fronde oleae, cristasque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto :
Atque armata Deum sine crimine caedis adoro.
Crimen enim, piget heu, crimen persuaserat atrox
Iuppiter, ut sacro iustorum sanguine tincta,
Adsuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu primus Nero (2), matre peremta,
Sanguinem Apostolicum bibit, ac me strage piorum
Polluit, et proprium facinus mihi saevus iussit (3).
Post hunc et Decius (4), iugulis bacchatus apertis,
Insanam pavit rabiem : mox et sitis arsit
Multorum similis, per vulnera tristia flagrans,
Extrahere insignes animas, ac ludere poenis,
Undantesque meum in gremium defundere mortes,
Et sub iure fori (5) non noxia colla secare.
Hac me labe ream modo tempora vestra piârunt.
Vivo pie vobis auctoribus, impia pridem

(1) *et caput orbis.* S. Prosp. Aqvitan. De Roma cecinit :
« Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
« *Facta caput mundo:* quidquid non continet armis
« Religione tenet. » *De Ingratis.* 42.

(2) *primus Nero.* V. Tertvl. Apolog. C. V.

(3) *mihi saevus iussit.* De Romae Vrbis incendio, quod Nero in Christianos derivavit. V. Tacit. *Annal.* XV, 44.

(4) *Post hunc et Decius.* Neronem et Decium alii principes exceperunt in Christianos saevientes. Sed Decius acerbissime crudelitatem suam exercuit in mortales, Christianum nomen professos, uti Rvinartivs aperte verissimeque testatur. V. *Act. Martyr.* in Praefat. C. III, § L, et LI.

(5) *Et sub iure fori . . .* Contra leges enim in Romanorum foro vigentes, quae religionem quamlibet vetabant, Christiani peccare censebantur. V. Rvinart. quem nuper diximus. II, 25.

Arte Iovis, fateor: quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi, placidumve poposcit?
Qui, dum praemetuit cultus inolescere Christi,
Saeviit, ac miserum foedavit sanguine saeclum.
Et sunt, qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquam templorum sprevimus aras;
Adfirmentque Libyn Collinae a cardine portae
Hannibalem Iovis imperio, Martisque repulsum:
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Quum super e celso pugnarent numina saxo.
Qui mihi praeteritam cladem, veteresque dolores
Inculcant iterum; videant me tempore vestro
Iam nîl tale pati. Nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit: non armis, veste, comisque
Ignotus (1), capta passim vagus errat in Vrbe,
Transalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentavit Geticus nuper (2) delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Istro (3),
Has arces aequare solo, tecta aurea flammis
Solvere (4), mastrucis proceres vestire togatos (5).

(1) *non armis, veste, comisque Ignotus.* Hunc locum in edit. Bodonian. Theolius noster enodare hoc modo aggreditur: « Savaro ad Epist. II, Libri 1 Sidonii hunc locum de Gothis « interpretatur, et post eum plerique Prudentii interpretum: « sed enim, ut recte advertit Grangaeus, de Gallis accipiendus « est; quibus et vestis, et arma, et comae Romanis dissimiles. « Anterior enim versus ad Hannibalem, ipse vero ad Brennum et « Senonas refertur. De Gothis mox ».

(2) *Geticus nuper . . . tyrannus.* Alaricum Visigothorum Regem tangit, de quo Zosim. V. Cap. xxix.

(3) *patrio . . . ab Istro.* =: Gothi ab extremo Septemtrione « profecti, diu in Dacia iuxta Istrum, quae inde novum nomen « Gothiae accipiebat, sedem habuere ». Christ. Cellarius.

(4) *tecta aurea Solvere.* Sidon. Apoll. dixit Carm. V: « capitolia fulva ».

(5) *mastrucis proceres vestire togatos.* Mastruca, aut mastruga peregrina vox est propria Phoenicum, unde originem habuerunt Chartaginienses et Sardi. Genus quidem vestis villosae

Iamque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
Et Ligurum vastârat opes, et amoena profundi
Rura Padi, Tuscumque solum victo amne premebat
Depulit hos nimbos equitum non pervigil anser (1),
Proditor occulti tenebrosa nocte pericli:
Sed vis cruda virûm, perfractaque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
Pro patria, et pulchram per vulnera quaerere laudem.
Numquid et ille dies Iove contulit auspice tantum
Virtutis pretium? dux agminis imperiique
Christipotens nobis iuvenis fuit, et comes eius (2)
Atque parens Stilicho: Deus unus Christus utrique.
Huius adoratis altaribus, et cruce fronti
Inscripta, cecinere tubae: prima hasta dracones

est, et vilissimae, quae ex duobus pellibus ferinis contexta constat, quaque Sardi et olim agrestes mortales totum corpus, exceptis brachiis, cruribusque contegerent. Huic persimilis fuit vestis Germanorum, quae appellabatur RHENO. Vide ISIDOR. XIX, Orig. 23; et QVINTIL. I, 25. SIDON. I, Ep. 2. proceres mastruca indutos *pellitos* appellat.

(1) *non pervigil anser.* « Non quod olim evenit, quum Manlius nocte subeuntes hostes, clangore anseris excitus a summa rupe deiecit ». L. ANN. FLORVS. = Epitome Rerum Romanar. L. I, Cap. 13.

(2) *Christipotens iuvenis fuit et comes eius, Atque parens Stilicho.* Imperatorem Honorium aetate florentem honoris causa nominat poëta. De eo V. CLAVDIAN. *De Bello Getico* XXVIII, 437. Honorium tamen pugnae minime interfuisse pro certo habemus. *Iuvenem appellat* imperatorem, qui iam esset XX annos natus; sed licet pro istiusmodi viris eos iuvenes latiore quodam sensu nominare. Curionem iuvenem dicit TVLL. *ad Attic.* XII. ut Manutius annotavit II Famil. XII, etiamsi tricesimum annum excederet. — *Et comes eius Atque parens Stilicho.* Comes proprie est qui cum alio iter facit, a *cum* et *eo, is.* Sed in scriptoribus *aevi*, quod vocant, *medii,* nomen fuit ad dignitatem quandam pertinens; unde *comitatus.* V. SVLP. SEVER. Dial. II, 5. — *Parens* Stilicho Honorii socer fuit. Hinc apertissime patet haec, de quibus poëta narrat, ante an. ccccv. evenisse.

Praecurrit (1), quae Christi apicem sublimio reffert.
Illic, ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniae, poenas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent: mirabere seris,
Posteritas, saeclis inhumata cadavera late,
Quae Pollentinos texerunt ossibus agros (2).
Si potui manibus Gallorum excisa levare
De cinerum squalore caput, redeunte Camillo
Signa renidenti fumans si fronte recepi;
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et male pendentes lauro praecingere turres:
Quo te suscipiam gremio, fortissime Princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quae festis suspendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te stante sub armis
Libera, et aure tenus Geticos experta tumultus?
Scande triumphalem currum, spoliisque receptis
Huc, Christo comitante, veni (3): date, vincula de-[mam
Captivis gregibus, manicas deponite, longo
Tritas servitio, matrum iuvenumque catervae
Dediscat servire senex laris exsul aviti,
Discat et ad patrium limen genitrice reversa

(1) *prima hasta dracones Praecurrit.* Prima hasta scil. Labarum. De quo v. Libri prioris v. 488.

(2) *Pollentinos agros.* Pollentini, et Polentini agri ad Polentium spectantes, quae urbs ad Tanarum flumen olim floruit, in Liguribus, fictilibus calicibus insignis, uti habet PLIN. MAIOR. XXXV, 12. 45. Prope Pollentiam Gothi ad internecionem coesi sunt a militibus Romanis Honorio duce. V. CLAVD. VI Consul. Honor. 127; et *De Bello Getico* V, 635. Item TILLEMONT. « *Hist. des Empereurs*, Tom. V, art. XIX, pag. 529.

(3) *Huc, Christo comitante, venit.* Honorius anno exeunte CCCCIV. Romam venit. V. TILLEMONTIVM, quem supra in medium attulimus.

Ingenuum se nosse puer: timor omnis abesto.
Vicimus, exsultare libet: quid tale, repulso
Poenorum quondam duce, contigit? ille petitae
Postquam perculerat tremefacta repagula portae,
Baianis resolutus aquis (1) durissima luxu
Robora destituit, ferrumque libidine fregit.
At noster Stilicho congressus comminus ipsa
Ex acie ferrata virûm dare terga coëgit.
Hic Christus nobis Deus adfuit, et mera virtus:
Illic lascivum, Campania fertilis, hostem
Deliciae vicere tuae: non Iuppiter acrem
Protexit Fabium, sed iuvit amoena Tarentus,
Quae dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quae praemia digna rependam,
Non habeo, membra statuis effingere vile est.
Virtutem nîl vile decet: nam vile, quod aetas
Eripit, aera cadunt, aut fulvum defluit aurum;
Aut candor perit argenti, si defuit usus,
Et fuscata situ corrumpit vena colorem.
Viva tibi, Princeps, debetur gloria, vivum
Virtutis pretium, decus immortale secuto.
Regnator mundi Christo sociabere in aevum,
Quo ductore meum trahis ad caelestia regnum.

(1) *Baianis resolutus aquis* etc. Seneca Ep. LI.: « Vim Hannibalis hyberna solverunt, et indomitum illum nivibus atque alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniae; armis vicit, vitiis victus est ». Livivs, aliique e veteribus historicis Hannibalem nobis repraesentant otio Campano et vitiis diffluentem, quo facilius summum Carthaginiensium ducem deprimerent, victoriamque de eo Romanorum ad coelum laudibus efferrent. Quibus calculum adiecit, prae ceteris, saeculo XVIII Ioann. Carolus Frvgonivs, poëta clarus apud Italos, cuius tritum epigramma: *L'ozio Campano in lusinghiero aspetto etc.* nos pueri studiosissime recitabamus in scholis ordinis secundi; sed canescentibus nobis historiae Romanae facula est admota, atque omnes plerique in alia omnia discedimus. V. C. Cantu' = *Storia Universale*, Tom. IV, ediz. VI. pag. 170.

Nil te permoveat magni vox rhetoris, oro (1),
Qui sub legati specie sacra mortua plorans,
Ingenii telis et fandi viribus audet,
Heu! nostram tentare fidem : nec te videt ac me
Devotos, Auguste, Deo : cui sordida templa
Clausimus, et madidas sanie deiecimus aras.
Unus nostra regat servetque palatia Christus,
Ne quis Romuleas daemon iam noverit arces,
Sed soli pacis Domino mea serviat aula.
Sic adfata pios Roma exoravit alumnos,
Spernere legatum non admittenda petentem,
Legatum Iovis ex adytis ab aruspice missum :
At non a patria : patriae nam gloria Christus,
Persistit tamen adfirmans, iter esse viandi (2)
Multifidum variumque Deus quum quaeritur unus.
Hinc alios, ast inde alios properare seorsim
Quemque per anfractus proprios ; sed compita eodem
Fine coärtari, simul et concurrere in unum.
Quin etiam caelum atque solum, ventos, mare, nubes
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te,
Christe, vel exta litant sculptis qui tabida saxis.
Non nego communem cunctis viventibus usum
Aëris, astrorum, pelagi, telluris et imbris.
Immo etiam iniustus pariter, iustusque sub uno
Axe habitant, unas capit impius et pius auras :
Castus et incestus, meretrix et nupta : nec alter
Ore sacerdotis, quam mirmillonis anhelat
Spiritus (3), aërio vitam qui temperat haustu.

(1) *vox rhetoris.* Discrimen inter rhetorem et oratorem nemo hic non videt; et Symmachus rhetor proprie erat.

(2) *iter esse viandi.* Vio, as, are; italice: *camminare, far via.* Verbum minime placet *Quintiliano* (VIII, VI, 33. a med.), sed poëtis Christianis in oculis fuit. V. Ivven. C. I, 154; Alcim. *ad Soror.* 468; Prud. Καθημ. V, 65. *Contra Symm.* II, 772.

(3) *quam mirmillonis anhelat Spiritus.* Mirmillo aut mirmillio, gladiatoris genus, quod cum Threce aut Retiario pugnam

Nubes verna pluit zephyro impellente, sed aeque
Furis et innocui fecundat rura coloni.
Gurgitis aestivi sic pura fluenta viator,
Ut latro fessus, adit: sic piratis mare servit,
Ut mercatori: nec fluctus secius hosti
Obsequitur, quam quum licitae fert transtra cari-[nae (1).
Ergo capax utriusque rei natura creandis
Se praebet populis, nec habet discernere dispar
Viventûm meritum, quos tantum pascere iussa est:
Servit enim mundus, non iudicat: hoc sibi summus
Naturae Dominus praescripta in tempora servat.
Nunc adsunt homini data munera legibus îsdem,
Quîs concessa semel. Fons liquitur, amnis inundat.
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,
Et res naturae fit publica, promtaque cunctis,
Dum servant elementa suum famulantia cursum:
Sic probus, atque reus capitalis criminis îsdem
Sideribus, facilisque poli bonitate fruuntur.
Vivere commune est, sed non commune mereri.
Denique Romanus, Daha (2), Sarmata, Vandalus, [Hunnus,

acriter instituebat. Ita vocabatur a piscis cuiusdam figura, quam in summa galea gestaret, cui pisci nomen μόρμυρος. Alii aliter. V. Lips. L. II. Saturn. C. X. Tvll. III, Philipp. 12.

(1) *quum licitae fert transtra carinae.* Codd. m.ss. et Heins. — *dominae fert transtra carinae.* At *licitae* praeoptavimus.

(2) *Daha.* — Gisel. = *Daca.* Sed nos cum Heins. = *Daha.* Dahae, Δάοι populi, quorum alii Asiatici, alii Europaei. Europaei vero videntur ii fuisse, quibus postea Dacorum nomen fuit, regionesque satis amplas habuisse a Caspio mare ad Orientem spectantes. *V. L. Holesteinium* ad Steph. Bizzant. = De Vrbib. pag. 89.

Gaetulus, Garamas, Alamannus, Saxo, Galaulas (1),
Una omnes gradiuntur humo, caelum omnibus
[unum est,
Unus et oceanus, nostrum qui continet orbem.
Addo aliud : nostros potant animalia fontes :
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris,
Spurca sues (2) nostro amne natat, nostra intrat et
[ipsos
Aura canes, animatque levi fera corpora flatu.
Sed tantum distant Romana et barbara, quantum
Quadrupes abiuncta est bipedi, vel muta loquenti :
Quantum etiam qui rite Dei praecepta sequuntur,
Cultibus a stolidis, et eorum erroribus absunt.
Non facit ergo pares in relligione tuenda
Aëris et caeli communio : corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidivaque semina servat.
Nec refert, cuius generis, cuiusve figurae,
Aut cuius meriti : modo sint, ut corpora terra
Edita, terrenis quibus est vigor ex elementis :
Artificis quia Patris opus discrimine nullo
Influit in medium (3), nec avaro munere currit :
Ante datum, quam primus homo sordesceret Adam.
Nec vitio utentum restrictum deficit, aut se
Sutrahit indignis, nec foeda et turpia vitat.
Haud aliter solis radius, conluminat omnes
Diffuso splendore locos : ferit aurea tecta,
Sed ferit et nigro sordentia culmina fumo ;
Intrat marmoribus Capitolia clara : sed intrat

(1) *Galaulas.* Galaules Aethiopiae populi, qui olim *Auloles* dicebantur, uti testatur OROSIVS L. I, cap. 11.

(2) *spurca sues.* HORATIVS ad Pis. 25 amicam vocat luto suem. In multis editt. : *sordida sus.* Ceterum *sues*, *plebes*, aliaque nomina tertiae declinationis, in casu recto, ut alias videor adnotasse facile desinit.

(3) *Artificis quia Patris opus discrimine nullo Influit in medium.* V. MATTH. 45.

Carceris et rimas, et taetra foramina clausi
Stercoris, et spurcam redolenti in fornice cellam.
Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
Regia gemmato laquearia fulva metallo:
Nempe magis non illud erunt, qui numen in urnis
Quaerunt ac tumulis, et larvas sanguine placant:
Quod sunt qui summum caeli Dominum venerantur,
Institiamque litant (1), et templum pectoris ornant.
Secretum sed grande nequit rationis opertae
Quaeri aliter, quam si sparsis via multiplicetur
Tramitibus, et centenos terat orbita calles,
Quaesitura Deum variata indage (2) latentem.
Longe aliud verum est: nam multa ambago viarum,
Anfractus dubios habet, et perplexius errat:
Sola errore caret simplex via, nescia flecti
In deverticulum, biviis nec pluribus anceps.
Non tamen infitior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Quum dubitant, quonam ferat ignorantia gressum.
Altera multifida est: at simplex altera, et unum
Una Deum sequitur: divos colit altera plures,
Et tot sunt eius divortia (3), quot templorum
Signa, quot aëreis volitant phantasmata monstris.
Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi (4);
Inlicit aut alios ad Saturnalia festa:

(1) *Iustitiamque litant.* Nos italice: « e placano con sacrifizi la divina giustizia ». Discrimen in mentem revoca inter sacrifico, et lito. V. Avs. Popmam: *De Differentiis Verborum* ».

(2) *variata indage.* Indages, is, pro eo quod est indago, inis, florente latina lingua non usuvenit. Sed vide vocem in Clavdio Mamert. *Stat. Anim.* 22, aliisque serioris aevi scriptoribus.

(3) *Et tot sunt eius divortia.* Vers. spondaic.

(4) *Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi.* Relege quae de Dionysiis Bacchi annotavimus in L. I, v. 629; et d Saturn. ibi v. 45.

Aut docet, occultus quae sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solvi sibi poscat aënos.
Iamque Lupercales ferulae, nudique petuntur
Discursus iuvenum: Megalesius hinc spado, diris
Incensus furiis, caeca ad responsa vocatur.
Sunt, qui quadriviis brevioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluscula in hortis:
Porrum et cepe deos imponere nubibus ausi (1),
Alliaque, et Serapin caeli super astra locare.
Isis enim, et Serapis, et grandi simia cauda,
Et crocodilus idem, quod Iuno, Laverna, Priapus.
Hos tu, Nile, colis, illos tu Tibris adoras:
Vna superstitio est, quamvis non concolor error.
Hinc alia exoritur tenebrosis tecta frutetis
Semita, quam pecudes et muta animalia carpunt,
Quaeque latens silvis operitur. Nescia caeli
Mens hominum, saevo vivens captiva tyranno!
Haec putat esse Deum nullum: namque omnia verti
Casibus, et nullo sub praeside saecla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta, Deum summum, numerosa putatis.
Simplicis ergo viae dux est Deus: ille per unam
Ire iubet mortale genus, quam dirigit ipse
Sublime dextro celsam ad fastigia clivo.
Prima viae facies inculta (2), subhorrida, tristis,
Difficilis, sed fine sui pulcherrima, et amplis
Praedita divitiis, et abundans luce perenni,

(1) *Porrum et cepe deos imponere nubibus ausi.* Huiusmodi deos salse irridens in Sat. XV, 10 IVVENALIS exclamat: « O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis Numina! » V. Περὶ Στεφ. X, 259. *Caepe* GISEL. et HEINS. sine diptongo describunt in suis editt.; sed praeoptamus coepe. V. Voss. in Etymol.

(2) *Prima viae facies inculta.* V. ECCLESIAST. XXI, 11.

Et quae praeteritos possit pensare labores.
Multiplici dux daemon adest, qui parte sinistra
Centifidum confundit iter, trahit inde sophistas
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes;
Inlicit et volucrum linguis, et aruspice fallit,
Instigat bacchantis anus ambage Sibyllae,
Involvit mathesi (1), magicas impellit in artes.
Omine sollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis, ut una via est multis anfractibus errans,
Talem passa ducem, qui non sinat ire salutis
Ad Dominum, sed mortis iter per devia monstret?
Devia, picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
Tristia, et in subitam praeceps immersa charybdim.
Ite procul, gentes: consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei: discedite longe,
Et vestrum penetrate chaos, quo vos vocat ille
Praevius infernae perplexa per avia noctis.
At nobis vitae Dominum quaerentibus unum
Lux iter est, et clara dies, et gratia simplex.
Spe sequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris:
Ad quae non veniunt praesentis gaudia vitae,
Nec currunt pariter capta et capienda voluptas.
Vltima legati defleta dolore querela est (2):

(1) *Involvit mathesi.* Involvit ex genethliaca superstitione. De astrologia Iudiciaria, quam vocant V. BENEDICTVM PERERIVM L. III « *De Magia* » — Mediam syllabam in *mathesi* licenter noster corripuit.

(2) *Vltima legati defleta dolore querela est.* Queritantibus Romanis, quod cladibus et miseriis terrarum orbis opprimeretur, et ipsa caput Roma male se haberet ob Christianorum sectam, qui religiones veteres, moresque antiquos agredi omnimode, et eradicare conarentur, respondet poëta, argumentis ex historia et veritate petitis. Ex hoc ipso germano fonte S. AVGVSTINVS immortale opus suum derivavit: « *De Civit. Dei* » quod evolvere praestat.

Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis (1)
Virginibus, castisque choris alimenta negentur:
Vestales (2) solitis fraudentur sumtibus ignes.
Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
Et tristem saevire famem, totumque per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.
Quae tanta exstiterit praesenti tempore, tamque
Invidiosa fames, quam Triptolemi Cererisque (3)
Moverit ira, penu pro virginis ulciscendo,
Non memini (4): nec tale aliquid vel fama susurrat.
Audio per Pharios Nilum discurrere campos (5)
More suo, viridisque sata stagnare Canopi.
Haud venit a sicco qui flumine nuntius adfert
Ieiunam squalere siti sub pulvere Memphim,
Nec Pelusiacae limum sudare paludis.
Num fons arcano (6) naturae tectus operto

(1) *Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis*... V. Περὶ Στεφ. II, 511. — *stipis;* pro eo quod est *stipes*, noster qui ultimam vocis syll. breviavit.

(2) *Vestales*. De Vestal. virginibus lege, sis quae habet MONTFAUCONIUS *Antiquitat.* T. I. L. II, cap. IV.

(3) *Triptolemi Cererisque*. Triptolemus Celei. fil. Cereris beneficio adiutus agriculturam primus mortales docuit. Cfr. HYGIN. *Fab.* CLXVII.

(4) *Non memini*. CHAMILLARDUS miratur Prudentium haec scribere potuisse: legimus enim in Libris De Offic. III, cap. VII. a S. AMBROSIO exharatis, famem eam Romae fuisse vulgatam plane ut ex urbe plurimi sint exterminati. Sed tamen si talis fames, ex Card. BARONII sententia an. CCCLXXXIII. vim suam exercuit, quid mirum, si eo tempore fuerit oblivione deleta, quo versus suos scilicet viginti annis post, in Symmachum fecit?

(5) *per Pharios Nilum discurrere campos*. Per Aegyptum. V. Περὶ Στεφ. V, 82.

(6) *Num fons arcano*. Unde Nilus ortum duxerit, et qua de causa, statis temporibus, eius aquae ex alveo exeuntes hinc inde campos contegant veteribus in compertum habebant, neque satis recentioribus constare video. V. PLIN. MAIOR. XVIII, 7,

Aruit, et tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit praestringere ripas
Amnis, et exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alveus undam
Fluminis, et subito stagna absorbentur hiatu?
Ne sulcos operire vadis, neve arida possint
Aegypti per plana trahi, glebasque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis:
Vnde seges late crinitis fluctuet agris (1),
Densius et gravidis se vestiat aequor aristis?
Respice, num Libyci desistat ruris arator (2)
Frumentis onerare rates, et ad ostia Tibris
Mittere triticeos in pastum plebis acervos?
Numne Leontini sulcator solvere campi
Cesset frugiferas Lilybaeo ex litore cumbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat (3)
Sardorum congesta vehens granaria classis?

11. N. 6.: SENEC. *Quaest. Natur.* L. VI, Cap. VIII. AVSON. Epigr. IV.

(1) *crinitis fluctuet agris.* SIDONIVS APOLLINARIS Ep. VIII, Lib. 8 dixit: « prati comantis exuviae ». SALVIANVS De Gubern. Dei lib. 7 de Aquitania: « *crinita messibus* ». HOR. ipse Lyricor. L. IV, 2 hac eadem translatione usus est: « redeunt iam gramina campis, Arboribusque comae ».

(2) *Num Lybici desistat ruris arator.* Quatuor granaria Romanis fuere. duo propiora Vrbi, scil. Sicilia et Sardinia; duo remotiora, Aegyptus et Lybia. Sed postquam Constantinus imperium Romanum divisit. urbemque Bysantium ex suo nomine appellari passus est, tum enimvero Aegyptus granaria sua orientali imperio ad plebem Byzantinam alendam reclusit, et Africa Romano populo est relicta, quod poëta noster attingere videtur.

(3) *Romana nec horrea rumpat...*, propter frugum congestarum molem horrea rupta. V. VIRG. *Georg.* I, 49. Hic versus Prudentianus Carmen IACOBI ZANELLAE in mentem nobis reducit, in quo rusticus, ad paupertatem redactus, haec lamenta effundens inducitur: « Ma se per noi non cigola — La trave del granaio, — Se d'intonchita segala — Si colma a noi lo staio . . . » *Poes.* Vol. II. pag. 60, *Le Monnier*, *Firenze* 1896.

Ergo pyris mensas silvestribus implet arator
Poenus, et avulsas Siculus depascitur herbas?
Iamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, iam corna cibos lapidosa Quiritum?
Quis venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quae regio gradibus vacuis (1) ieiunia dira
Sustinet? aut quae Ianiculi mola muta quiescit? (2)
Quantos quaeque ferat fructus provincia, quamque
Vbere focundo large fluat orbis opimus,
Indicio est annona, tua quae publica plebi,
Roma, datur, tantaeque manus longa otia pascit.
Sit fortasse aliquis paullo infecundior annus:
Nil mirum, nec in orbe novum didicere priores,
Perpessi plerumque famem: si tabidus aër

(1) *Quae regio gradibus vacuis...* Caesar Augustus Vrbem Romam. in XIV regiones divisit, quarum descriptio habetur in Sexto Rvfo et P. Victore, sed accuratissime in Mvratorio *Inscript.* pag. 2126 et seqq. — *gradibus vacuis.* De gradibus Vrbis Romanae, deque pane gradili V. quae diximus L. I *Contra Symm.* ad v. 583.

(2) *aut quae Ianiculi mola muta quiescit.* Mola, μύλη ital. *macina,* instrumentum est, quo frumenta, aliaeque fruges conteruntur et in farinam rediguntur. Constat autem duobus saxis, quorum inferius quadrata primum figura solo insistit. deinceps in conum desinit, et ob formae similitudinem *meta* dicitur; superius vero saxum (Graeci ὄνον appellant) est dupliciter cavatum, et ex inferiore quidem parte metae superincubat; superiore vero, *Catillum* appellabant, grana conterenda continet, quae per medium foramen inter utrumque saxum decidunt, ibique facile commoluntur, quum superius saxum ab axe transverso, qui *mobile* nominatur, circumducitur. Huius molae figura Pompeiis in Campania reperta est haud ita pridem prope moletrinam, eamque repraesentat Schneidervs in adnotatt. ad Catonem Tab. II, N, 7. V. Pavl. Dig. XXXIII. 7, 15 § 5°. Vide etiam sis *metae* figuram, quam effingit in suo *Dictionaire des Antiquités Romaines et* Grecqves Anthonis Rich. *traduit de l'Anglais . . . Paris, Libraire Firm. Didot pères* 1859. — *De pane gradili* vide supra v. 948.

Siccavit tenues ardenti sidere nubes.
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge nova et viridi : si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Adflatum calido succum contraxit ab Euro,
Ieiunosque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolae, sterilis stipularum silva fefellit.
His, ni fallor, ager vitiis corruptus, et ante
Subiacuit, quam Palladium, quam Vesta, Penates
Sub lare Pergameo servarent igne reposto,
Quam Priami genitor conductis moenia fabris (1)
Exstrueret, quam virgo suas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam Vestalis origo favillae
Vrbibus, ut memorant, primo de fomite sumta [est,
Sacrâruntque focos, aut Phryx, aut Graius alumnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerumque feruntur
In casus alios, quam lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aëris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Post zephyros gelidi glacies aquilonis inurit,
Ambustumque caput culmi fuligine tinguunt.
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri adfigere fibram :
Mox eiecta solo glacie sidente superfit,
Nudaque subducto radix avellitur arvo.

(1) *Priami genitor, conductis moenia fabris.* Laomedon Ili filius, Priamique pater in opere conducticio Neptunum et Apollinem ad Troiae moenia prope mare aedificanda acciverat; sed moeniis perfectis, fidem ipsismet datam fefellit. V. Horat. Lyric. III, ode 23; et Homer. Iliad. XXI, 113.

Ancipites tribuli subeunt, et carduus horrens.
Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor.
Temperies effusa minus, vel plus, agit istos
Terrarum morbos, et mundum vulnerat aegrum.
Non aliter nostri corruptus corporis usus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
Perstat, et excessu moderaminis adficit artus :
Vnus enim status est mundique et corporis huius
Quod gerimus : natura eadem sustentat utrumque.
Edita de nihilo crescunt (1), nihilumque futura.
Aut titubant morbis, aut tempore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
Semper, crede, polus variis proventibus annos
Texuit; hos multa ditavit fruge fluentes :
Quosdam infelices astris damnavit iniquis,
Spe cassa et sterili curam frustratus agrestem.
Sed, si Vestales ulciscitur ista puellas
Pestis, ab infido quae gignitur improba mundo,
Cur non Christicolûm tantum populatur agellos
Per quos virginibus vestris stata dona negantur?
Vtimur et ruris reditu, et ratione colendi :
Exercere manus non poenitet : et lapis illic
Si stetit (2), antiquus quem cingere sueverat error

(1) *Edita de nihilo crescunt, nihilumque futura.* Sallvstivs in *Jugurt.* II : « postremo corporis et fortunae bonorum ut initium, sic finis est, omniaque nata occidunt et aucta senescunt ». — V. Senec. *Consol. ad Marc.* XXIII. Sed corpora ipsa nostra, ad vitam revocata, in aeternum permanebunt, uti docet poëta noster Καθημ. III, 179.

(2) *et lapis illic Si stetit, antiquus.* Lapidibus agri, uti noster est mos, finiebantur agri cuiusque, et lapis ille *Terminalis* ut *deus* habitus est, quem laedere irreligiosum et nefas. Tales dii constabant quadratis lapidibus, et Romani eos floribus ornare statis festis consueverunt. V. Ovid. Fastorum II, 641; et Tibvll. I, 15. Vide sis etiam Carolvm Pasch. : *De Coronis.* Cap. IV.

Fasciolis, vel gallinae pulmone rogare (1),
Frangitur, et nullis violatur Terminus extis:
Et quae fumificas arbor vittata (2) lucernas
Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.
Nec tamen iccirco (3) minor est aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia laeta serenae,
Temperet aut pluvius qui culta novalia ventus (4).
Sed nec magno opus est frugi viventibus, et quum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudio censu
Solvimur (5), inque lucrum studio exsultamus avaro.
Nam quibus aeternum spes informatur in aevum,
Omne bonum tenue est, quod praesens ingerit aetas.
O felix nimium sapiens, et rusticus idem,
Qui terras animumque colens, impendit utrisque
Curam pervigilem, quales quos imbuit auctor
Christus, et adsumtis dedit haec praecepta colonis:
Semina quum sulcis committitis, arva cavete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic,
Quod seritur; primo quoniam praefertile germen

(1) *gallinae pulmone rogare*. De hoc ritu nihil omnino certi. Dum ritus quosdam peragerent, forte inter auspicia captanda avium et pecorum inspiciebant viscera, e quibus ventura laeta vel tristia eruebant; quem ritum noster designavit et in *Apoth.* v. 465.

(2) *fumificas arbor vittata*. V. Περὶ Στεφ. X, 30 adnot. 4. Arbores istiusmodi vittatas exhibet nobis vir clariss. V. VINCKELMANNVS in vetustiore pictura Albana, quam pulchre, more suo, declaravit in opere: « *Storia dell'Arte del Disegno* » Tom. II, pag. 17.

(3) *iccirco* pro *idcirco;* et semper. De scribendi ratione Cfr. CHRISTOPH. CELLAR. qui eam optimis scriptorib. probatam docet in opuscolo: *De Ortographia Latina*.

(4) — *aut pluvius . . . ventus*. Nos iam pluvium ventum italice convertimus, adhibita voce composita: *ventipiovolo*; optimis usurpata scriptoribus.

(5) *non amplo in gaudio censu Solvimur*. Germani etenim christiani memores Apostoli sunt sententiae, atque *utuntur hoc mundo tamquam non utantur*. Ad Corinth. VII, 31.

Luxuriat; succo mox deficiente, sub aestu
Sideris igniferi sitiens torretur, et aret.
Neve in spinosos incurrant semina vepres;
Aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus artat acutis.
Et ne iacta viae spargantur in aggere grana,
Haec avibus quia nuda patent, passimque vorantur,
Immundisque iacent foeda ad ludibria corvis.
His Deus agricolam confirmat legibus; ille
Ius caeleste Patris non summa intelligit aure (1);
Sed simul et cordis segetem disponit, et agri,
Ne minus interno niteant praecordia cultu,
Quam quum laeta suas ostentant iugera messes.
Exstirpamus enim sentos de pectore vepres,
Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem segetemque animae spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis ieiunis siccet arenis
Marcentem sub corde fidem: ne pectoris aestus
Flagret, et effetis urat charismata venis.
Denique ne iecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deum: ne spem, qua vescimur intus,
Deserat, obscenisque avibus (2) permittat edendam,
Et proiecta fides hosti sit praeda volucri.
Talis nostrorum sollertia centuplicatos
Agrorum redigit fructus: quibus acrius instat,

(1) *non summa intelligit aure.* Non leviter, et quasi aliud agendo: et haec dicuntur perfunctorie, πρὸς ἀφοσίωσιν. V. Ψυχ. 796. Apud HEINS. THVANEVS pro diversa scriptura habet: = *non surde.*

(2) *obscenisque avibus.* — *Obscenis, et obscoenis avibus.* Obscenus ἀπαίσιος adiectiva vox malum et triste omen portendens ob turpitudinem, deformitatem et immunditiam. V. VARRON. VI, L. 5.

Nec metuit, ne congestum populetur acervum
Curculio (1), vel nigra cavis formica recondat.
Sunt et Virginibus pulcherrima praemia (2) nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honos, nec nota et publica forma,
Et rarae tenuesque epulae, et mens sobria semper,
Lexque pudicitiae, vitae cum fine, peracta.
Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus (3),
Horrea nocturno non umquam obnoxia furi.
Nam caelum fur nullus adit, caelestia numquam
Fraude resignantur: fraus terris volvitur imis.
Quae nunc Vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primum parvae teneris capiuntur in annis (4),

(1) *Curculio.* Vermiculus frumentorum grana in horreis corrodens. Nos Itali *tonchio* dicimus; unde *grano, o segala in tonchiata.*

(2) *sunt et Virginibus pulcherrima praemia.* Praestat in hoc argumento adire quae D. D. D. Valentiniano, Theodosio et Arcadio semper Augustis scripsit Symmachus, et ea quae verissime respondit S. Ambrosivs ad Valentinianum § XII. Vide, amabo te, opus: Patrologiam insignem edente F. Migne.

(3) *Hinc decies redigentur in horrea fructus.* Hic noster verba, quae ad Evang. *S. Matthaei* referuntur XIII, 19 aliter pro Virginitate extollenda interpretatur, ac dixerat pro Martyrio in Περὶ Στεφ. hymno XIV. Lege adnotatt. nostram ibi ad v. 121.

(4) *parvae teneris capiuntur in annis.* Quo tutius haec intelligantur, hic quae habet Avl. Gell. in N. A. XII, 1, exscribam: « Qui de Virgine capienda scripserunt, quorum diligentis-« sime scripsit Labeo Antistivs, minorem quam annos sex, « maiorem quam annos decem natam, negaverunt capi fas esse; « item quae non sit patrima et matrima; item quae lingua de-« bili, sensuumve aurium deminuta aliave qua corporis labe in-« signita sit; item quae ipsa aut cuius pater emancipatus sit, « etiamsi vivo patre in avi potestate sit etc. . . . . Praeterea « Capito Ateivs scriptum reliquit, neque eius scriptam filiam, « qui domicilium in Italia non habuerit ecc... Virgo autem Ve-« stalis simul est capta, atque in atrium Vestae deducta et pon-

Ante voluntatis propriae quam libera secta,
Laude pudicitiae fervens et amore deorum,
Iusta maritandi condemnet vincula sexus.
Captivus pudor ingratis addicitur aris:
Nec contemta perit miseris, sed ademta volu-
[ptas
Corporis intacti: non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla toris, quibus innuba caecum
Vulnus, et amissas suspirat femina taedas.
Tum, quia non totum spes salva interficit ignem (1);
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore praescripto membra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, inrita nullus
Fecundavit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore,
Desertisque focis (2), quibus est famulata iuventas,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Discit et in gelido nova nupta tepescere lecto.

« tificibus tradita, eo statim tempore sine emancipatione... e pa-
« tris potestate exit etc. De more autem rituque capiundae
« Virginis litterae quidem antiquiores non extant, nisi quae capta
« prima est, a Numa Rege esse captam . . . Capi autem Virgo
« propterea dici videtur, quia Pont. Max. manu prênsa ab eo
« parente, in cuius potestate est, veluti bello capta, abducitur ».
Vide reliqua in Avlo Gellio. Aevo autem Prudentiano Virgines Vestales non ante ann. XL velo sacro nubebantur, uti apparet in Ep'ast. S. Leonis Magni clxviI.. ubi vide Qvesnelli adnotat. Haec Prudentii Verba iis consonant quae scripsit S. Avgvst. in L. *De Civit. Dei* LIII., cap. XVIII. ubi haec de Vestalibus leguntur: *non tam honoratae, quam damnatae virgines* ».

(1) *non totum spes salva interficit ignem*. Vestales non perpetuam virginitatem tuebantur, et triginta annis post quam Vestae erant sacratae, nubere ipsis erat permissum, V. Dionys. II, 107.

(2) *Desertisque focis, quibus est famulata iuventus*. Heins. suis in adnot. *iuventa*; Gisel. *iuventus* et plerique omnes.

Interea dum torta vagos ligat infula crines (1).
Fatalesque adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas (2),
Pilento residens molli, seque ore retecto
Imputat attonitae virgo spectabilis Vrbi (3).
Inde ad consessum caveae (4), pudor almus, et expers
Sanguinis it pietas, hominum visura cruentos
Congressus, mortesque, et vulnera vendita pastu
Spectatura sacris oculis (5). Sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris, fruiturque lanistis.
O tenerum mitemque animum! consurgit ad ictus;
Et, quoties victor ferrum iugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque iacentis
Virgo modesta iubet converso pollice rumpi (6):

(1) *dum torta vagos ligat infula crines.* Graphicam descriptionem duarum Vestalium nobis praebet RAPHAEL FABRETTIVS in opere: *Della Colonna Traiana.* Cap. VI, pag. 107, ubi Virginum mos vestis, habitusque ad veritatem depingitur. Est tamen aliquid discriminis inter Fabrettum et Prudentium nostrum in Vestalium cultu adnotando. De hac re vide sis LIPSIVM De Vest. et Vestalibus, cap. XII.

(2) *plateas.* Discrimen adnota inter *plateas* et *areas.*

(3) *attonitae virgo spectabilis Vrbi. Spectabilis* HEINS., et plerique; sed GISEL. *expectabilis.*

(4) *ad consessum caveae.* Si removeas ironiam, quae elucet in phrasi: *pudor almus*, caetera ita obscura sunt, ut Oedipo interprete adhuc indigeant.

(5) *mortesque et vulnera vendita pastu Spectatura sacris oculis.* Haec prudentissima verba in libro « De Vtilitate Poëtices » Cap. VI, pag. 97 et seqq. explicat erudite IO. ANT. VVLPIVS.

(6) *converso pollice rumpi.* In pollice, qui digitus est in manu et pede primus et crassior, a polleo, es, nominatur, quod prae ceteris vim habet, uti animadvertit ATEIVS CAPITO in MACROB. VII Sat. 12. In pollice favoris studiique significatio erat, et cui faverent premebant, in aversantes inculpantesque vertebant pollicem retro subrigebantque. V. PLIN. MAIOR. XXII. 2, I.

Ne lateat pars ulla animae vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense secutor (1).
Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias (2), Latii pro maiestate Palatî;
Quod redimunt vitam populi, procerumque salutem;
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora taeniolis, et licia crinibus addunt.
Et quia subter humum lustrales testibus Vmbris
In flammam iugulant pecudes, et murmura miscent:
An quoniam podii meliore in parte sedentes (3)
Spectant, aeratam faciem quam crebra tridenti (4)

Quare IVVENAL. Sat. III, 36: « Munera nunc edunt, et pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter ». V. STAT. VIII. Theb. 26; Cfr. TVLL. DANDOLVM: « *Reminiscenze e Fantasie* », pag. 139. Torino, Stabilimento Fontana.

(1) *dum palpitat ense secutor*. In gladiatorio munere secutor aut sequutor, est qui pugnando retiarium insequitur. V. IVVEN. Sat. VIII, 210: SVET. Calig. 30. De nominis origine adi VOSSIVM in ETYM., et FABRETTVM = « *Colonn. Traiana* », Cap. VIII. pag. 257.

(2) *continuare feruntur Excubias*. Diu noctuque Vestales ad ignis custodiam et sacrificia Deae Vestae procuranda animum intendebant. Excubiae, arum, vox militaris, quae excubationes denotat, per vices a militibus actas statis quibusque locis.

(3) *podii meliore in parte sedentes*. Podium πόδιον, italice « *poggio* », pedem diceres Circi vel Amphiteatri, nempe murus est latissime patens arenae contiguus: isque gradus dignissimus fuit, qui arenam lamberet, et ceteris latior pateret. Quamobrem ibi conspiciebatur Imperatoris suggestus, propiusque Consules, civitatis magistratus, et imperia exercentes consedebant, idcirco Vestales virgines in supinis exhedris spectabant gladiatorium ludum. Plura de hac re habebis in LIPSIO: = *De Amphiteatr.* C. XI. V. IVVENAL. *Satyr.* II, 105. SVETON. Caligul. C. XLIV, 7.

(4) *aeratam faciem quam crebra tridenti*. HEINS. in adnotatt. *tridente; codices.* — Facies latiore significatione accipitur pro universa forma et modo, facturaque totius corporis humani, uti docet AVL. GELL. *Noct. Att.* XXIX, 13. Nos Itali = *figura, aspetto.* = Iamvero quaenam fuerit gladiatoribus facies, quibus ferri tegumen totum induxerat corpus, facile omnibus perspicuum

Impacto quatiant hastilia, saucius et quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenae,
Quum fugit, et quanto vestigia sanguine signet
Quod genus ut sceleris iam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii Dux augustissime regni (1),
Et tam triste sacrum, iubeas, ut cetera, tolli.
Perspice: nonne vacat meriti locus iste paterni,
Quem tibi supplendum Deus, et genitoris amica
Servavit pietas (2)? solus ne praemia tantae

patet, ideoque eorum faciem dicere quis potest *aeratam*. Sed ex professione artis, quam profiterentur, facies in ipsis *aerata* dicta est translate a poëta. Nos quoque eos bipedes, qui refractis pudoris et reverentiae claustris nimii in omnibus sunt nec inducuntur, sed irrumpunt, solemus vulgo appellare vernacule = *faccia di bronzo*, = et nos subalpini, more nostro: = *moustass d' tola*. V. TACIT. *Annal.* III, c. 43; AMM. MARCELL. XXIII, 31. — Ad tridentem autem quod spectat non te pigeat eruditissimum RAPH. FABRETTIVM adire, Inscript. Cap. I.

(1) *Te precor, Ausonii Dux augustissime regni.* In exitu carminis contra Symmachum poëta se ad Honorium Augustum cum bonis precibus convertit, ut gladiatorium munus tandem aliquando antiquare, et ex Vrbe removere dignetur. Iam enim an. CCCXXV tale spectaculum Constantinus Magnus edicto vetuerat, quemadmodum notat Ludovicus Muratorius (Thes. Nov. Inscripp. pag. 1799); at tamen arenam gladiatoriam semper inhiabant, vocabant indesinenter, efflagitabantque Romani; neque leges, aut Christianorum religio, quae undique in Vrbe latius diffundebatur, ipsasque aedes Palatinas intraverat, impedimento fuerunt, quo minus ad Circum, oblata occasione, maximo studio iretur. Hic lectores meos iubebo relegere *S. Aurelii Confessiones,* ubi in Libr. VI, cap. VIII sanctissimus ille vir Alipium discipulum eundemque amicum suum nobis una cum amicis spectatorem verbis omnino sensu tinctis expingit. Ait namque: « quid plura? spectavit, clamavit, exarsit; abstulit inde sensuum insaniam, qua stimularetur redire ».

(2) *genitoris amica pietas.* Theodosius, cognomento Magnus, insignis pietate vir, et in religionem Christianorum latus, nihil ferme contra gladiatoriam pestem profecit. Sed enim saeculo V ineunte res memorabilis Romae evenit, quam in annalibus Christiani nominis quoties legimus, toties animus magna admiratione

Virtutis caperet, partem tibi, nate, reservo,
Dixit; et integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodque patri superest: successor laudis habeto.
Ille Vrbem vetuit taurorum sanguine tingui:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
Nullus in Vrbe cadat, cuius sit poena voluptas;
Nec sua virginitas oblectet caedibus ora.
Iam solis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit devota Deo, sit tanto Principe digna,
Et virtute potens, et criminis inscia Roma;
Quemque ducem bellis sequitur, pietate sequatur.

completur. Editor, seu Vrbis Munerarius solemni quodam die libellum publicum adfixum proposuerat, in quo munus gladiatorium edicebatur, numerusque perscriptus fuerat celebriorum gladiatorum. Omnes, hora dicta, veluti flumen abundantissimum de quatuordecim regionibus in caveam confluxerunt. Coenobita quidam, nomine TELEMACHVS, qui pridie eius diei ex oriente nudis pedibus in Vrbem venerat, et ipse cum lautioris ordinis civibus et una cum pulla plebecula spectatum iit. Promissa barba et incana, vultu pallido atque macilento, ut qui feriis esurialibus vitam plures annos parce et duriter in precibus Dei fusis egisset, se se non in circi vomitoria sessurus cum ceteris ascenderat, sed directum, quo proludendi et ventilandi fine facto gladiatorum paria experimentum dabant inhumanae pugnae. Mitis anachoreta inter Secutorem et Retiarium procedit festinus, manibusque extensis: PAX clamat *in nomine Domini Iesu Christi: satis superque impii sanguinis effusum!* Turba e sedibus in iram versa puncto temporis surrexit, collectisque undique saxis, hospitem certatim lapidavit. Hic fuit novissimus spectaculi ferocis dies in Vrbe; neque posthac gladiatorium munus Romae visum fuit. V. ROHRBACHER, *Storia Universale della Chiesa Cattolica, colla continuazione sino ai nostri giorni del Prof. D. Pietro Balan* — Vol. IV, Torino, Tip. di Giacinto Marietti 1883, pag. 312.

CONTRA SYMMACHI ORATIONEM

LIBRI II FINIS

V

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

DIPTYCON

VTRIVSQVE TESTAMENTI

DIPTYCON *)
VTRIVSQVE TESTAMENTI

TESTAMENTVM VETVS

I. *Adam et Eva*

Eva columba fuit tunc candida, nigra deinde
Facta, per anguineum malesuada (1) fraude vene-
[num,

*) Vtrum hoc Prudentii opusculum, extremum sane, sed non exigui ponderis sit **Diptycon**, an Enchiridion inscribendum, haud multis te morabor, candide lector. Victor Giselinvs graece illud Ἐγχειρίδιον *Novi et Veteris Instrumenti* inscripsit, et multi post eum latinis litteris *Enchiridium* describere non dubitarunt. Sed Gennadivs, Sacerdos Massiliensis, qui LX annis floruit a Prudentio, hanc poëtae hispani industriam διττοχαῖον vocat, a διττὸς, *duplex*, et ὀχή *cibus*. *Diptycon* vero, videlicet duplicatum eumdemque parvum libellum a πτύσσω, *plico*, *complico*, probatissimi omnium codd. Vatic. praeseferunt. Quam quidem lectionem Gifanivs, Albertvs Fabricivs, Nicol. Heinsivs et Cellarivs retinuerunt; quodque maius est, hosce duos libellos a Prudentii ingenio omnino profectos esse putant. Libenter nos his doctissimis viris adstipulamur, quidquid Ioann. Sichardvs in suis *scholiis in Prud.*, Dvpinivs et Dominicvs Macrvs aliique obloquantur. Sunt qui Argentoratensem nescio quem codicem in medium proferant, atque opusculum *Amoeno* inscriptum esse contendant, uti Prudentio nostro pulcrum et elaboratum poëmation invideant, et facilius abiudicent. Graphici profecto philologi, qui se nescire dissimulent illud nomen *Amoeno* non revera auctoris nomen referre, sed poëtae κατ᾽ἐξοχὴν fuisse affictum ab excriptore quodam, aut recensore nobis ignoto, propter amoenitatem versuum, quibus inter describendum, aut recensendum caperetur. Sed de opusculi huiusce titulo satis superque. Vide sis Io. Alberti Fabricii Bibliothecam Latinam, Tom. II, Cap. II, pag. 225; et Ios. Theolii *praefationem*, *caput II*, *in edit. Bodon.*

(1) *malesuada.* Vox adiect. quae conflatur a *male* et inusit. *suadus*, *a*, *um*. Ante Virgil. (*Aen.* VI, 276) Plautus ea usus

Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam:
Dat nudis ficulna (1) draco mox tegmina victor.

II. *Abel et Cain*

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Aestimat (2), accipiens viva, et terrena refutans.
Rusticus invidia pastorem sternit: in Abel
Forma animae exprimitur; caro nostra in munere [Cain.

III. *Arca Noë*

Nuntia diluvii iam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivae:
Corvus enim ingluvie per foeda cadavra captus
Haeserat (3): illa datae revehit nova gaudia pacis (4).

est in *Mostellaria*, 1, 3, 56; seriorib. vero temporib. PAVL. NOL., et SIDON. APOLLINARIS aliique hanc renovarunt.

(1) *Dat nudis ficulnea.* In uno Vatic. « Mox draco dat nudis ficulnea tegmina victor ». Ficulnum, aut ficulneum tegmen ad folia ex fico decerpta denotanda, quibus primorum peccantium corpus fuit contectum.

(2) *nutu distante duor. Aestimat.* Nutus, a nuendo, capitis est motus, quo quidpiam significamus; et proprie est signum quo Deus voluntatem suam mortalibus ostendit. E coelo ignis emissus Abelis hostiam absumpsit, Caini vero terrae fructus deteriores, quos obtulerat, prohibuit: Hoc autem iudicio coelesti alter fratrum sacrificasse creditus est, alter minime litasse.

(3) *Haeserat.* Narrationem diluvii Mosaici PRVDENTIVS ex LXX Interprett. derivavit, ubi legitur: « qui (corvus) egrediebatur, et non revertebatur ». Sed particula negantis *non* neque in textu Ebraico, Chaldeo, Syriaco, neque in Arabico aut Samaritano adparet; variisque in codd. desideratur.

(4) *gaudia pacis.* quae per olivae ramulum significatur.

IV. *Ilex Mambrae* *)

Hospitium hoc (1) Domini est, ilex ubi frondea Mam- [brae
Armentale senis protexit culmen: in ista
Risit Sarra (2) casa, subolis sibi gaudia sera
Ferri, et decrepitum sic credere posse maritum.

V. *Monumentum Sarae*

Abraham mercatus agrum (3), quo conderet ossa
Coniugis, in terris quoniam peregrina moratur
Iustitia atque fides. Hoc illud millibus emptum (4)
Spelaeum, sanctae requies ubi parta favillae est.

VI. *Somnium Pharaonis*

Bis septem spicae, vaccae totidem Pharaoni (5)
Per somnum visae, portendunt, dispare forma,

(*) *Ad Ilicem Mambrae.* Est hoc lemma quarti tetrastici in Giselini editt. In Theoliana legitur = *Rex Mambrae* — Sed, ut obiter dicam, mirum quantum in Vaticc. m.ss. lemmata discrepent a Theolianis.

(1) *Hospitium hoc etc.* In uno Vatic. τὸ *hoc* abest.

(2) *Sarra*, et melius *Sara*, latine. Aio *latine*, quia veteres latini consonantes non geminabant. Sara Abraami fratris filia fuit, quam in matrimonio sibi iunxit Abraamus, unde Isaachus ortum habuit. — *Subolis* proprie. Vnus e Vatican. *sobolis*.

(3) *mercatus agrum*. Vnus Vaticc. *Mercatus est agrum*; ibique *cui* pro *quo* legitur. V. *Psychom.* 105.

(4) *Hoc illud millibus emptum*. E Vaticc. unus: *Hoc illi millibus emtum*. Quadringentis autem millibus siclis eum agrum venisse docent Sacrae Litterae. Siclus autem ab hebr. שֶׁקֶל *(sequet)* post Machabeorum tempora numus argenteus fuit, et quatuor dracmis constabat. Quare si ad nostram computandi rationem velimus quadringentos siclos referre, erunt quingenti argentei *(cinquecento franchi)*.

(5) *Pharaoni*. Apud Aegyptios Pharao nomen dignitatis regiae fuit; idemque valet atque Rex. V. Prud. Καθημ. XII, 141. Hic autem Pharao unus e regibus numeratur, quos vocitarunt

Vberis atque famis duo per septennia tempus
Instare : hoc solvit Patriarcha, interprete Christo (1).

VII. *Ioseph a fratribus agnitus*

Venditus insidiis fratrum puer, ipse vicissim
Cratera in fratris sacco (2) clam praecipit abdi.
Vtque reos furti Ioseph tenet, auctio fallax (3)
Proditur, agnoscunt fratrem, veniaque pudescunt (4).

VIII. *Ignis in rubo*

Sentibus involitans Deus igneus (5), ore corusco
Compellat iuvenem, pecoris tunc forte magistrum.
Ille capit, iussus, virgam. Fit vipera virga.
Solvit vincla pedum : properat Pharaonis ad ar-
[cem (6).

IX. *Iter per mare*

Tutus agit vir iustus iter, vel per mare magnum.
Ecce Dei famulis scissim freta rubra dehiscunt,

Pastores seu *Ickxos*. Hoc Pharaone imperante Iosephus Iacobi f. regni administer, fratribus in caritate annonae subsidio fuit.

(1) *interprete Christo.* intellectum scil. interiorem aperiente Christo in Spiritu Sancto, quo inflante locutos esse prophetas testatur PETRVS I, 11.

(2) *in fratris sacco.* GISEL. in marg.: *farris;* et *farris* pro *fratris* varia lectio occurrit in duobus Vaticc. — *craterem* pro *craterae* Vaticc. unus.

(3) *auctio fallax.* GISEL. *actio fallax* descripsit, ex duobus m.ss. Vaticanis; in quorum uno Glossa est: *opera.* Sed *auctio* potior.

(4) *veniaque pudescunt.* In uno Vatic. *veniamque petiscunt* pro eo quod est *petissunt*, vel *petessunt*, arch. Glossa in marg. *poscunt.* — GISEL. *vanisque pudescunt*, ubi in marg. *veniâque.*

(5) *Deus igneus.* V. Καθηµ. X, I.

(6) *Pharaonis ad arcem.* Ad regis aedes palatinas.

Quum peccatores rabidos eadem freta mergant.
Obruitur Pharao (1): patuit via libera Mosi.

X. *Moses accipit legem*

Fumat montis apex divinis ignibus, in quo
Scripta decem verbis (2) saxorum pagina Mosi
Traditur, ille suos, suscepta lege, revisit:
Forma sed his vituli solus Deus, et Deus aurum.

XI. *Manna et coturnices*

Panibus angelicis albent tentoria patrum.
Certa fides facti: tenet urceus aureus exin
Servatum Manna. Ingratis venit altera nubes,
Atque avidos carnis saturat congesta coturnix.

XII. *Serpens aeneus in eremo*

Fervebat via sicca eremi (3) serpentibus atris:
Iamque venenati per livida vulnera morsus
Carpebant populum: sed prudens aere politum
Dux cruce suspendit, qui virus temperet (4), anguem.

XIII. *Lacus myrrae in eremo*

Aspera gustatu, populo sitiente, lacuna
Tristificos latices stagnanti felle tenebat.

(1) *Obruitur Pharao.* In hunc modum series XVIII principum continens periit, quae Aegypto imperitavit ante Sesostridas.

(2) *scripta decem verbis.* Decem verba hebraice et latine constituunt quod Δεκάλογος dicitur. S. AVGVSTINVS decalogum in *Confess.* III, C. VIII, 2, 8 belle, more suo, decem unius lyrae chordis solerter instructae comparat.

(3) *eremi.* Vti apud Graecos ἐρῆμος, mediam vocalem longam facit noster. V. Ψυχ. 371 et *Indicem* III.

(4) *suspendit qui virus temperet.* In uno Vatic. *suspendit virus ut temperet.*

Moses sanctus ait: Lignum date, gurgitem in [istum (1)
Coniicite: in dulcem vertentur amara saporem.

XIV *). *Helim lucus in eremo*

Devenere viri Mosi duce, sex ubi fontes,
Et sex forte alii vitreo de rore rigabant
Septenas decies palmas: qui mysticus Helim
Lucus apostolicum numerum libris quoque pinxit.

XV. *Duodecim lapides in Iordane*

In fontem refluo Iordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada sicca relinquit.
Testes bis seni (2) lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, in formam discipulorum.

XVI *). *Raab meretrix*

Procubuit Hiericho: sola adstant atria (3) Raab.
Hospita sanctorum meretrix (tanta est fidei vis),
Incolumi (4) secura domo spectabile coccum
Ignibus adversis (5) in signum sanguinis (6) offert.

(1) *gurgitem in istum*. Gisel. — E Vaticc. unus: *gurgite in isto*.

*) XIV. Giselini lemma=*De* XII *fontibus, et* LXX *palmis*.

(2) *bis seni*. Gisel. coniunctim: *bisseni*.

*) XVI — Gisel. in lemmate: *Domus Raab*.

(3) *stant atria*. Nonnullae editt. *adstant*.

(4) *incolumi*. E Vaticc. unus *incolumis* sed alienis superinductis.

(5) *ignibus adversis*, quibus nempe urbs incendebatur.

(6) *in signum sanguinis*. « vel consanguineorum suorum, qui cum ea in domo erant, vel servati exploratorum sanguinis ». Ioseph. Theol.

XVII *). *Samson leonem necat*

Invictum virtute comae leo frangere Samson
Adgreditur. Necat ille feram; sed ab ore leonis
Mella fluunt: maxilla asini fontem vomit ultro,
Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus (1).

XVIII *). *Samson vulpes capit*

Tercentum vulpes Samson capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in sata mittit
Allophylûm (2), segetesque cremat. Sic callida [vulpis (3)
Nunc heresis flammas vitiorum spargit in agros.

XIX. *David Goliam sternit* (4).

David parvus erat, fratrum ultimus, et modo Iësse
Cura gregis, citharam formans ad ovile paternum:
Inde ad delicias regis. Mox horrida bella
Conserit, et funda sternit stridente Goliam (5).

*) xviI *Samson* Gisel. et nihil supra.

(1) *dulcedine virtus.* Leo virtutem per symbola exprimit: asinus autem, e cuius maxilla aquae fluxerunt, stultitiam. De hac re vide sis Excursus ad Opera C. Cornelii Taciti Vol. V edit. Pomb. pag. 65, ubi sermo est=De fabula asini a Iudaeis culti. — Gisel. *medulla asini.* — Theol. *medulla asinae.*

*) xviiI *De eodem.* Ita Gisel. in lemmate breviusculo.

(2) *Allophylûm* sync. *allophylorum*, uti Pavl. Nol. *De S. Felicis die Natali* vII, 23,70. Allophylus latina scriptione *allofilus*, *a*, *um*, est alienigena, alienae gentis. Penultima vocis est natura longa, et a graecis poëtis saepenumero producitur; sed latini. et Prvdentivs atque Pavl. Nol. in primis breviant. V. Ἁμαρτ. 502.

(3) *vulpis* pro eo quod est *vulpes*. V. Καθημ. V. 69.

(4) xiX *David filius Iesse*, Gisel. in lemmate. — *David Goliam sternit.* Heinsivs.

(5) *stridente Golian.* Unus e Vaticc. *Goliam.* Noster Theol. et Gisel. item: *Golian.* V. Ψυχ. 291.

XX. *Regnum David*

Regis mitifici (1) fulgent insignia David:
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, et purpura et ara.
Omnia conveniunt Christo: chlamys, atque corona;
Virga potestatis, cornu crucis, altar (2) olivum.

XXI. *Aedificatio templi*

Aedificat templum sapientia per Salomonis (3)
Obsequium: Regina Austri (4) grave congerit aurum.
Tempus adest, quo templum hominis sub pectore [Christus
Aedificet, quod Graia colant: quod barbara ditent.

XXII. *Filii prophetarum*

Forte prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis.
Gurgite submersum est ferrum: sed mox leve lignum
Iniectum stagnis, ferrum revocabile fecit.

(1) *Regis mitifici.* Mitificus, proprie, est lenis, mollis, tenuis; et transl. naturae lenioris, mansuetioris ingenii. In SIL. ITAL. Punicor. XII, 472 multi legunt: *mitifica mens;* sed ibi, ut suspicor, est dubia lectio. Noster de se ipso in *Hamartig.* sub finem ait: « me sorbeat ignis averno: Saltem mitificos incendia lenta vapores Exhalent... ». Habemus tamen penes PLIN. MAIOR. et AVL. GELLIVM verbum *mitifico*, pro eo quod est: mansuefacio, lenio, cicuro, as, etc.

(2) *altar.* ἀποκοπή pro *altare;* et Prudentianum est. V. Περὶ Στεφ. III, Pass. Eulal. sub fin.

(3) — *Salomonis* vulgo; et Salamonis. — *Solomonis* THEOL.

(4) *Regina Austri.* Sabaeorum Regina, quae ex Arabiae penitissima regione ad Iudaeos venit, ut Salomonis divitias, splendorem sapientiamque ipsa, explorata per se, iudicaret.

XXIII. *) *Captivitas Israël*

Gens Hebraeorum, peccamine capta frequenti,
Fleverat exilium dirae Babylonis ad amnes (1):
Tum patrios cantare modos, praecepta recusat,
Organaque in ramis salicis suspendit amarae (2).

XXIV. *De rege Ezechia*

Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
Praescriptum proferre diem, legemque obeundi
Tendere: tot gradibus (3), quot vespera texerat um-
[bram,
Lumine perfusis, docuit sol versus in ortum (4).

*) Lemma Giselini: *Captivitas Hebraeorum.* Item Heins.

(1) *ad amnes.* — *ad arces* e Naticc. unus.

(2) *ramis salicis suspendit amaris.* — *suspendit amarae.* Vaticanor. unus *salicis suspendit amaris.* Haec poëtae verba nobis in mentem reducunt quae habet David in Psalm. cxxxvI, ubi Sanctus Rex totus ad miserationem est compositus.

(3) *tot gradibus.* Plerique: sed Gisel, et cum eo quidam ex veteribus m.ss. « Quod gradibus, quos vespera texerat umbra ».

(4) *sol versus in ortum.* Quibus verbis poëta solis cursum retrorsum conversum tangit, cum patribus bene multis consentientibus. At tamen nonnulli existimant non solem, sed umbram solis in horologio reductam esse. De hac re videat lector Interpretes.

TESTAMENTVM NOVVM *)

XXV. **) *Adnuntiatio Dominica*

Adventante Deo, descendit nuntius alto
Gabriel (1) Patris ex solio, sedemque repente
Intrat Virgineam. Sanctus te Spiritus, inquit,
Implevit, Maria: Christum paries, sacra Virgo.

XXVI. ***) *Civitas Bethleem*

Sancta Bethlem caput est orbis (2): quae protulit Iesum,
Orbis principium, caput ipsum principiorum.
Vrbs hominem Christum genuit; qui Christus [agebat
Ante Deus, quam sol fieret, quam lucifer esset.

*) *Testamentum Novum*. Multa, quae in hoc libello ad Novum Testamentum referuntur si quis fusius attingere, et ad historiam criticam exigere discupiat, perlegere hunc iubebo ex integro 1° DIDONIS ex ordine Dominiciano opus, cui titulus: « *Iesus Christe,* » quod Manfredus TARCHIVS italice redditum publicavit Senis ex officina Antoniniana a. MDCCCXCIII. — 2° *La Vita di Gesù Cristo* di S. E. Alfonso CAPECELATRO Arciv. di Capua, Cardinale di S. Chiesa. *Roma, via della Minerva* 47-48 an. MDCCC.LXXX.VII.

**) XXV Ita NICOL. HEINS. — GISEL.: *Gabriel ad Mariam.*

***) XXVI *Civitas Bethlem* NIC. HEINS. — *Christus nascitur* GISEL.

(1) *Gabriel.* De quantitate vocis V. meum *Lexicon Poët. totius linguae latinae.*

(2) *Bethlem.* Hebraice Beth Lehem = domus panis; olim Ephrata. — *Caput est orbis etc.* S. PAVLVS I, 15, Christus, ait, « primogenitus omnis creaturae ».

XXVII. *Magorum munera*

Hic pretiosa Magi, sub Virginis ubere, Christo
Dona ferunt puero, myrrhaeque et turis et auri.
Miratur genitrix tot casti ventris honores,
Seque Deum genuisse hominem, Regem quoque [summum.

XXVIII. *Pastores ab Angelis admoniti*

Pervigiles pastorum oculos vis luminis implet
Angelici, natum celebrans de Virgine Christum.
Inveniunt tectum pannis: praesepe iacenti (1)
Cuna erat, exultant alacres, et Numen adorant.

XXIX. *Occiduntur infantes in Bethleem*

Impius innumeris infantum caedibus hostis
Perfurit Herodes, dum Christum quaerit in illis.
Fumant lacteolo parvorum sanguine (2) cunae,
Vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

XXX. *Christus baptizatur* *)

Perfundit fluvio, pastus Baptista locustis,
Silvarumque favis, et amictus veste cameli,
Tinxerat (3) et Christum: sed Spiritus aethere missus
Testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

(1) *praesepe iacenti.* Praesepe is, vel praesepium ii, n. locus dicitur septus, in quo pecudes stabulantur; et per synecdochen locus in stabulo, ubi pabulum iumentis apponitur.

(2) *lacteolo... sanguine* pusionum lactentium. Lacteolus diminut. a lacteus, et epith. Catullianum est, quod noster Περὶ Στεφ. xI, 245 usurpavit de agnis.

*) In lemmate Giselinus habet: « *Christus in Iordane baptizatur* ».

(3) *Tinxerit.* In uno Laticc. *tinxit*: et versu sequente: « *qui tinxit crimina donet* ». In eodem Vaticc. « *qui cunctis crimina donet* ».

XXXI. *Pinna Templi*

Excidio templi veteris stat pinna superstes:
Structus enim lapide ex illo manet angulus (1), usque
In saeclum saecli, quem sprêrunt aedificantes (2);
Nunc caput est templi, et lapidum compago duorum.

XXXII. *Ex aqua vinum* *)

Foedera coniugii celebrabant auspice coetu
Forte Galilaei. Iam deerant vina ministris:
Christus vasa iubet properanter aquaria lymphis
Impleri: inde meri veteris defunditur (3) unda.

XXXIII. *Piscina Siloa*

Morborum medicina latex, quem spiritus horis (4)
Eructat variis: fusum ratione latenti,
Siloam vocitant: sputis ubi conlita coeci
Lumina Salvator iussit de fonte lavari.

XXXIV. *Passio Ioannis*

Praemia saltatrix poscit (5) funebria virgo
Ioannis caput, abscisum quod lance reportet

(1) *ex illo manet angulus.* Dux et caput est Christus Ecclesiae, quae ex duobus populis est conflata.

(2) *sprêrunt.* sync. pro spreverunt, quae insueta est συγκοπή.

*) XXXII Lemma apud GISEL. est: « *Vinum ex aqua factum* ».

(3) *defunditur.* Ita GISEL. sed duo Vaticc. *difunditur.*

(4) *latex, quem spiritus oris.* V. Ἀποθ. 680. In uno ex Vaticc. non *latex* sed *latet:* et ibi, pro eo quod est, *quem* aliena manu scriptum legitur *quam;* et non iam *fusum ratione* etc. sed *fusam* correptum adparet. Iamvero haec mira aquae eruptio, quae ante Christi tempora conspiciebatur, post eius mortem exaruit, si credimus TERTVLLIANO Vide eius Librum contra Iudaeos c. III.

(5) *Saltatrix.* Salome venustissima filia Herodiadis, uxoris Herodis Philippi Iudaeae tetrarchae, numerosa brachia pedesque

Incestae ad gremium matris. Fert regia donum
Psaltria, respersis manibus de sanguine iusto.

XXXV. *Per mare ambulat Christus*

It mare (1) per medium Dominus, fluctusque liquentes
Calce terens. Iubet instabili descendere cumba (2)
Discipulum: sed mortalis trepidatio plantas
Mergit; at ille manum regit, et vestigia firmat.

XXXVI. *Daemon missus in porcos*

Vincla sepulcrali sub carcere ferrea daemon
Fregerat: erumpit, pedibusque advolvitur Iesu.
Ast hominem Dominus sibi vindicat, et iubet hostem
Porcorum raptare greges (3), ac per freta mergi.

XXXVII. *Quinque panes, et duo pisces*

Quinque Deus panes fregit, piscesque gemellos (4):
His hominum large saturavit millia quinque.
Implentur nimio micarum fragmine corbes
Bis seni: aeternae tanta est opulentia mensae.

movere docta in numerum, die natali tetrarchae a perfida matre instincta, caput ab Herode Ioannis Baptistae poposcit.

(1) *It mare.* Mare hebraice יָם (iam) magnam denotat aquarum vim et magnitudinem. Vide sis S. Hieron. in Genes. I. Quare et Nazarae et Asphaltidos, et Tiberiados maria nihil aliud sunt quam lacus cognomines.

(2) *cumba.* V. Περὶ Στεφ. *V.* vers. 450, in adnotat.

(3) *raptare.* Vaticc. *tres habent: furiare;* quam lect. GISEL. notat in margine editt. suae.

(4) *gemellos* pro eo quod est *duos;* gemellus namque diminutivum est a *geminus,* diciturque de puerulo, qui uno eodemque partu in lucem editus est. Saepe tamen accipitur pro *duplex* et pro *duo.* V. Virg. *Aen.* IX, 265, etc.

XXXVIII. *Lazarus suscitatus a mortuis*

Conscius insignis facti locus in Bethania
Vidit ab inferna te, Lazare, sede reversum.
Adparet scissum, fractis foribus, monumentum,
Vnde putrescentis redierunt membra sepulti.

XXXIX. *Ager sanguinis*

Campus Acheldamach (1), sceleris mercede nefandi
Venditus, exsequias recipit tumulosus humandas.
Sanguinis hoc pretium est Christi. Iudas eminus [artat (2)
Infelix collum laqueo pro crimine tanto.

XL. *Domus Caiphae*

Impia blasphemi cecidit domus ecce Caïphae (3),
In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.
Hic peccatores manet exitus: obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine iacebit.

(1) *Campus Acheldamach.* Hebraice «Haceldama, hoc est ager sanguinis». Act. Ap. I, 14, 19. V. Ψυχ. v. 534. — Contendit MAZOCHIVS Spicil. Bibl. Vol. III, pag. 55 hunc agrum hoc nomen retinuisse ad saecul. XII, in eoque peregrinos perpetuo sepultura fuisse affectos.

(2) *Iudas eminus artat.* Iuda, et Iudas ae, est quem LUCAS XXII, 3 memorat «Ιούδαν τὸν ἐπισκαλούμενον Ἰσκαριώτην..... » A THEOLIO recedimus qui escribit « Iuda eminus artat Infelix collum », — et cum GISELINO locum quadantenus emendavimus.

(3) *domus ecce Caiphae.* In duob. Vaticc: *domus alta Caiphae.* Lectionem amplectitur GISEL. Nobis *alta* pro *ecce* facile arridet.

XLI. *Columna, ad quam flagellatus est Christus*

Vinctus in his Dominus stetit aedibus, atque columnae
Adnexus tergum dedit, ut servile (1), flagellis.
Perstat adhuc (2), templumque gerit veneranda [columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

XLII. *Passio Salvatoris*

Traiectus (3) per utrumque latus, laticem atque cruorem
Christus agit. Sanguis, victoria (4): lympha, [lavacrum est.
Tunc duo discordant crucibus (5) hinc inde latrones
Contiguis: negat ille Deum; fert iste coronam.

(1) *ut servile.* Tamquam servus flagris caesus; etenim ex lege Porcia et Sempronia civis Romanus neque flagris caedi, neque ad crucem damnari fas erat. V. Tit. Liv. X, 9; Digest. X, 4. Quae tamen lex nihili habebant praetores in provinciis, uti eloquentiae luminibus palam facit Tvll. in Verrina quinta a cap. LIII ad lxvii.

(2) *Perstat adhuc.* V. Hieron. Ep. xxvii, ubi narratur S. Paulae Romanae columna fuisse ostensa, sanguine adhuc Christi respersa.

(3) *Traiectus.* E Vaticc. unus: *transiectus.* De lancea qua Iesus Christus in cruce defixus transverberatus est V. S. Avgvst. Tractat. xv. in Ioan. N, 8.

(4) *Sanguis, victoria* etc. Sanctvs Orientivs Novempopulonensium in Aquitana insignis Pontifex, qui medio soeculo quinto effloruit, cuiusque *Commonitorium* Fidelibus elegiaco carmine conscriptum, cum voluptate magna legimus, ita haec Prudentii verba pro suo captu declarat: « Martyrium sanguis sibi vindicat, unda lavacrum ».

(5) *Tunc duo discordant crucibus* etc. De forma atrocis instrumenti e duplici ligno recto et transverso, in quo clavibus aut funibus reidamnati ad mortem affigerentur, alii alia. In universum tamen crux erat vel *commissa* vel *decussata*, vel *Romana.* Commissa (ti) quadrati T formam praeseferebat. *Decussata*, quam vulgo S. Bartolommaei crucem vocitamus, noxios afficiebat duobus lignis decussatim conformata; nos eam × (cxi) dicimus. Crux *Ro-*

XLIII. *Sepulcrum Christi* *)

Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri (1):
Mors illi devicta iacet: calcavit abyssum.
Sanctorum populus superas simul ivit ad oras,
Seque dedit multis tactuque oculisque probandum.

XLIV. *Mons Oliveti*

Montis oliviferi Christus de vertice sursum
Ad Patrem rediit, signans vestigia pacis (2).
Frondibus aeternis praepinguis liquitur humor,
Qui probat infusum terris de Chrismate donum (3).

mana tandem ea fuit, cui servi suffigerentur, ad quam Redemptor noster putatur ad mortem adactus. V. Arrighi, *Roma sotterranea*. Vberius de Cruce habebis apud Lipsivm L. I et 3; qui varias huius instrumenti letalis formas lectoribus prae oculis exhibet.

*) *Sepulcrum Christi*. Heinsivs quatuor versus, qui hoc lemma consequuntur, missos facit, causam interserens eos in Vatic. m.ss. desiderari. Addit insuper numerum tetrasticorum *Novi Testamenti* non esse augendum, plane ut summam excedat numeri ipsius XXIV, quo *Vetus Testamentum* constat. Nugas meras! Nos Ios. Theolivm excribentes, Giselino in primis insistimus, atque hanc noluimus compendiariam Divini Redemptoris historiam ne tantillum quidem praecidere.

(1) *claustra sepulcri*. Sepulcrum sine adspiratione scripsimus; Tvllivs enim ait; « Per aurium iudicium semper licet dicere sepulcra, lacrymas etc. ». V. Cellar. *Orthogr. Lat.* pagina 8, et 110.

(2) *signans vestigia pacis*. Multi Patres contendunt eo loco, unde Dominus ad coelos ascendit, eius sacra vestigia terrae haesisse diutissime. V. apud S. Avgvstinvm Calmetvm in Dict. Bibl. ad vocem *Olivetum*.

(3) *de Chrismate donum*. Spiritus Sancti donum, quod n Sacramento almi Chrismatis confertur.

XLV. *Passio Stephani*

Primus init Stephanus mercedem sanguinis, imbri
Adflictus lapidum; Christum tamen ille cruentus
Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi (1)
Hostibus. O primae pietas miranda coronae!

XLVI. *Porta Speciosa*

Porta manet templi (2), Speciosam quam vocitarunt,
Egregium Solomonis opus: sed maius in illa
Christi opus emicuit. Nam claudus surgere iussus
Ore Petri, stupuit luxatos currere gressus (3).

XLVII. *Visio Petri*

Somniat (4) inlapsum Petrus alto ex aethere discum,
Confertum omnigenis animalibus: ille recusat
Mandere; sed Dominus iubet omnia munda putare.
Surgit, et immundas vocat ad mysteria gentes.

XLVIII. *Vas electionis*

Hic lupus ante rapax vestitur vellere molli:
Saulus qui fuerat, fit, ademto lumine, Paulus.

(1) *ne sit fraudi* — ne sit detrimento. — *pietas miranda coronae.* Stephanus, a graeco στέφανος, corona est.

(2) *porta templi.* De Hierosolymorum templo vide, amabo te, Didonvm, sodalem Dominicianum in erudito opere supra memorato « Iesus Christe », quo in opere absolutissimum sacri aedificii diagramma proponitur.

(3) *luxatos currere gressus.* In Vaticc. duobus.; *damnatos currere gressus.*

(4) *somniat.* Quo sensu intelligendum sit verbum *somniat,* ea in mente revoca, quae adnotavimus, ubi de S. Ioanne diximus Καθημ. vI, vers. 85, deque eiusdem *Apocalypsi.*

Mox recipit visum ; fit apostolus, ac populorum
Doctor, et ore potens corvos mutare columbis.

XLIX. *Apocalypsis Ioannis*

Bis duodena senum sedes, pateris citharisque,
Totque coronarum fulgens insignibus. Agnum
Caede cruentatum laudat : qui evolvere librum,
Et septem potuit signacula pandere solus.

DIPTYCI FINIS

VI

INDICES PRVDENTIANI

— I Index *Rerum* — II *Verborum* et *Dictionum* — III *Verborum* quorumdam, habita quantitatis ratione.

*) Cristophorvm Cellarivm imitatus Iosephvs Theolivs editioni suae venustae Parmensi, quam describendam suscepimus, tres INDICES, tamquam πάρεργον adiecit, ad Res, ad Voces et Dictiones, ad Verba quaedam spectantes, a recepta quantitatis ratione recedentia. His te, opibus, bone lector, carere nōlui, sperans fore, ut tibi sint istiusmodi Indices magno adiumento futuri in Christiani poëtae carmina sedulo incumbenti. Paucula in eisdem mutavi et nonnulla, quae desiderarentur, adieci, sed a Theoliana industria in universum minime recessi.

INDEX PRIMVS

A

* *Anas* Hispaniae fluvius, qui terrae visceribus abortus, post breve spatium itineris latentis rursus emergit.

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

X

Z



II

INDEX VERBORVM ET DICTIONVM

A

B

C

Classicum triste raptat — *Cathem.* II, 42.
Clava Herculea — *Hamart.* 403.
Claustra, locus clausus — Περὶ Στ. II, 41.
Clausula meriti pax — *Psych.* 779.
Clementia tempestatis serenae — *Contra Symm.* II, 1012.
Clerus — Περὶ Στ. IV, 78.
Clepere arch. (a κλέπτω) clam furari — *Psych.* 563.
Cliens (cultor) lapidum — Περὶ Στ. III, 82.
Clivoso margine callis aërius — *Hamart.* 794.
Cluo, is (arch.) pro clueo — *Psych.* 2; *Contra Symm.* II, 584.
Cluere virtutibus — *Cathem.* IX, 107.
Cluunt ornamenta — *Contra Symm.* II, 505.
Clypeata Minerva — *Contra Symm.* II, 534.
Coagula per densa lac coit — *Cathem.* III, 68.
Coagula concreta — *Hamart.* 870.
Coaptare — *Psych.* 558.
Coctile caput vituli — *Apoth.* 325.
Coevi sanguinis fluenta — *Cathem.* XI, 137.
Coenosum solum — *Contra Symm.* I, 640.
Coërcere lege saeptos — *Cathem.* VIII, 4.
Cognatum malum — *Contra Symm.* II, 47.
Cognitor, iudex — Περὶ Στ. X, 205; et 571.
Cognominatus — *Cathem.* IX, 11.
Coheres gloriae — Περὶ Στ. V, 574.
Coinquinatus vitiis — *Cathem.* V, 53.
Colla vinclis subdere — *Hamart.* 470.
Colla fluunt, abeunte anima — Περὶ Στ. III, 166.
Colliquefacta — *Psych.* 425.
Color redit rebus — *Cathem.* II, 7.
Colorare inepta vultu serio — *Cathem.* II, 36.
Columba sidere lapsa — *Cathem.* III, 165.
Columna lucis — *Cathem.* XII, 169.
Columnifer radius — Περὶ Στ. III, 52.
Colymbus — Περὶ Στ. XII, 36.
Coma herbarum — *Cathem.* VIII, 46;
— oleris — *Cathem.* III, 63.
Combibere Crucem — Περὶ Στ. X, 630;
— Deum medullis — *Cathem.* IV, 18.
Cometa tristis — *Cathem.* XII, 21.

D

Dumos effingere docta manus — Περὶ Στ. XI, 129.
Duplicat vota — Περὶ Στ. XII, 64.

E

Ebenum (nigrum) — *Cathem.* II, 71.
Eblanditis virtutibus — *Psych.* 328.
Ebrium linteolum (humectum) — *Cathem.* V, 18.
Ecclesiarum anguli — Περὶ Στ. II, 82.
Ecclesiastes — Περὶ Στ. X, 42.
Eccum praesto sum — Περὶ Στ. X, 1006.
Echo (ἠχώ) — Περὶ Στ. X, 980.
Edacitas — Περὶ Στ. X, 809.
Edax senium — *Apoth.* 1073.
Edentularum cantilenae — Περὶ Στ. X, 305.
Editiore apice exsurgens — Περὶ Στ. XI, 224.
Eductos sub imagine avita — *Contra Symm.* II, 8.
Efferati spiritus mundi — Περὶ Στ. IV, 110.
Efferatis furoribus percitus — *Cathem.* II, 53.
Efferre se sideribus altius — *Contra Symm.* II, 479.
Effetus malis — Περὶ Στ. II, 215.
Effigiare hominem — *Cathem.* X, 4.
— animam — *Apoth.* 807.
Efflans spumeas salivas — Περὶ Στ. I, 101.
Effrena mens — Περὶ Στ. X, 966.
Effusus de senili partu — *Cathem.* VII, 59.
Effusa corpora — *Cathem.* XII, 110.
Effusae turmae — *Psych.* 178.
Egena lucis numina — *Contra Symm.* I, 377.
Egenus rationis diae animus — *Contra Symm.* I, 81.
Egressus tuta silentia — *Contra Symm.* Praef. L. II, 46.
Eiulantes feminae — *Cathem.* VII, 145.
Elaqueanda voluptas animi constantia — *Contra Symm.* II, 147.
Eliciti sanguinis purpura — Περὶ Στ. III, 140.
Elinguis oris organum — Περὶ Στ. X, 2
Elinguia numina — Περὶ Στ. V, 72.

F

Fixus (supplicio) — *Cathem.* VI, 64.
Fixis in altum vultibus — *Cathem.* XII, 54.
Flabilis res — *Apoth.* 67.
Flabrale frigus venti — *Apoth.* 841.
Flagellum (surculus arborum) — *Cathem.* VII, 139.
Flagrantiam sedare — Περὶ Στ. X, 734.
Flammicomi ignes (flammeas comas habentes) — *Psych.* 776.
Flammeolum — *Psych.* 449.
Flatile virus ingerere — *Hamart.* 533.
Flatus (anima) in aetere plaudit ovans — Περὶ Στ. III, 169.
Flarescere — *Contra Symm.* II, 656.
Flavicomantes (ξανθόκομοι) — *Apoth.* 495.
Flere desine — *Cathem.* XII, 98.
Flebilis hora — *Hamart.* 944.
Flebiliter — *Apoth.* 1049.
Flectere in divertìculum — *Contra Symm.* II, 849.
— sensus. — *Hamart.* 691.
Flere repulsam — *Contra Symm.* II, 650.
Fletu perluere V. *Madescere.*
Flexa sententia — *Contra Symm.* II, 311.
Flexu in plateae — Περὶ Στ. XIV, 39.
Flexuosae fraudes — *Cathem.* VI, 143.
Flexuosa dispendia — *Cathem.* VII, 49.
Flexura (subst. a *flecto, is*) — *Psych.* 339.
Flocci facere (parvi pendere). — Περὶ Στ. X, 140.
Flore in tenero occidere (in tenera iuventa)
Florulentus — Περὶ Στ. X, 191.
Fluctivagi greges (pisces) — *Cathem.* III, 46.
Fluctus qua murmuranti fine fluctus (in litore) frangitur — *Cathem.* VII, 128.
Fluenta pura
Fluentis infusis — *Contra Symm.* II, 933.
Fluit orbis large ubere fecundo — *Contra Symm.* II, 951.
Fluunt mella ex ore leonis — *Dipt.* XVII.
Fluxit labor diei — *Cathem.* VI, 10.
Foetida libido — Περὶ Στ. II, 245.
Follibus cavis recoqui — Περὶ Στ. V, 70.
Fomes peccati — *Apoth.* 946.
Fomes (proprie) — *Contra Symm.* I, Praef. 25.

G

H

I

L

M

Minus — Circiter aut minus (ital.: *dal più al meno*) — Περὶ Στ. X, 656.
Mira laudum — Περὶ Στ. X, 4.
Mitia munera (matura, de pomis) — *Cathem.* III, 77.
Mitifica (vel mirifica) verba — Περὶ Στ. VII, 42.
Mile, et milia (mille, millia) — *Psych.* 168.
Mixtim — Περὶ Στ. VI, 141.
Mobile ingenium — *Hamart.* 547.
Mobilis lingua — *Cathem.* Praefat. 45.
Moderamen legum — *Cathem.* Praef. 16.
Moderatrix lingua — Περὶ Στ. X, 978.
Moderatus (passive) — *Apoth.* 47.
Modicum salis — Περὶ Στ. III, 122.
Moechus primus — *Contra Symm.* I. 57.
Moenibus tutis — *Psych.* 672.
Moenium auctor — Περὶ Στ. II, 416.
Molae lapidem ingentis gerere. — Περὶ Στ. VII, 25.
Molaris ponderis saxum — Περὶ Στ, V, 489.
Molares (dentes) uvidi — *Cathem.* VII, 119.
Mollescere cultu cernas — *Hamart.* 283.
Mollitus (placatus) Deus — *Cathem.* VII, 171.
Monetae fulgidae montes — Περὶ Στ. II, 56.
Monetae effigies sordet Christicolis — *Psyhc.* 527.
Monilia fulva — Περὶ Στ. III, 22.
Monstruosa idola — Περὶ Στ. II, 7.
Montes monetae — Περὶ Στ. II, 56.
Morbi terrarum — *Contra Symm.* II, 986.
Mordax allium — Περὶ Στ. X, 260.
More proprio vivere — *Contra Symm.* II, 83.
Mors abolet omnia (quae fuerant in nobis.) — *Cathem.* Praef. 30.
Morsus stipitis (organi, seu nervi) — Περὶ Στ. V, 271.
Morsuum pericula nec sentit — Περὶ Στ. X, 30.
Mortes hominum — *Contra Symm.* II, 1092.
— noxiorum — Περὶ Στ. V, 134.
Mortiferum lignum — *Apoth.* 68.
Mortificata corpora — *Cathem.* X, 93.
Motatus uterus — *Hamart.* 597.
Mucronibus strictis — *Psych.* 706.
Muculenti nares — Περὶ Στ. II, 230.

N

O

P

Prosapia peccatorum — Περὶ Στ. X. 180.
— sordida deorum — *Apoth.* 938.
— patrum — *Cathem.* XI, 89.
Prosatus patre perenni — Περὶ Στ. VI, 46.
Proscenia — *Hamart.* 369.
Prosperatum Deum dulce delectat — Περὶ Στ. X, 365.
Prosperum (propitium) Christum fore est spes — Περὶ Στ. IX, 4.
Prosubigit pede (calcat) — Περὶ Στ. III, 130.
Protervitas lasciva — *Cathem.* Praef. 10.
Protinus — *Cathem.* IV, 45; IX, 41.
Providenter quaerere — Περὶ Στ. X, 19.
Prunae fatales *(Vestae)* — *Contra Symm.* II, 1086.
Prurit silenda prodere — Περὶ Στ. II, 254.
Psallente caterva — *Psych.* 649.
Psalmi dulcimodi — *Psych.* 665.
Psalmis pangere — Περὶ Στ. IV, 148.
Psaltria — *Dipt.* XXXIV.
Pubertas — *Apoth.* 573.
Pubis (pro eo quod est: pubes nominat.) — *Cathem.* VII, 162; Περὶ Στ. XI, 190 v. adnott.
Publicitus — Περὶ Στ. XIV, 38.
Pudescit — *Cathem.* II, 26; *Apoth.* 776.
Pudibunda lumina — *Psych.* 44.
Pudicitia, virgo. Vide ibi eius prosopopoeiam — *Psych.* 41, et seqq.
Pudor ut dedecus occuleret — *Cathem.* III, 120.
Puellula torva — Περὶ Στ. III, 103.
Puerpera Virgo — *Cathem.* IX, 19.
Puerperiis mille (transl.) — *Hamart.* 619.
Pugillares ceras percurrere soliti — Περὶ Στ. X, 15.
Pugnatrix subdola — *Psych.* 682.
Pullati patres — *Cathem.* VII, 151.
Pullulescere — Περὶ Στ. X. 882.
Pullulat — *Apoth.* 912.
Pulsibus pudicis — *Hamart.* 672.
Pulvinar nostrum — Περὶ Στ. V, 179.
Pulvinar divûm — *Apoth.*
— Iovis — *Contra Symm.* I, 610.
Pulvinarium pingue macellum — Περὶ Στ. X, 1056.

Q

R

S

T

V U

Z

INDEX III

Verborum, in quibus quantitas notatur a recepta prosodia recedens

---

Cuĭ (dissyll.) — *Cathem.* III, 167. V. *Lex. Poët. totius Linguae Lat.* VINC. LANFRANCHII.

C̆ȳnĕus (κυάνεος) — *Psych.* 859.

Dāemŏn — *Contra Symm.* II, 888.

Dēlībūtus — *Psych.* 312.

Dīspăr — *Hamart.* 26.

Dūītāe — *Hamart.* Praef. 37.

Ēlŭtus (ab eluo) — Περὶ Στ. V, 362. Ibi tamen varia lectio occurrit.

Ēnērgĭma — (ἐνέργημα) *Apoth.* 400.

Ĕnērvāns — *Cathem.* VIII, 64.

Ĕnērvātus — *Contra Symm.* II, 143.

Ĕrĕmus (ἐρῆμος) — *Cathem.* V, 89; *Psych.* 331; *Dipt.* XII.

Ēxcĭtus (ab excio) — Περὶ Στ. III, 96.

Fĭo — Περὶ Στ. VI, 831; X, 815; XIII, 49 (*).

Frustră — Περὶ Στ. I, 13.

Gănĕo — *Hamart.* 323.

Haĕrĕsĭs — (ab αἱρέω) *Cathem.* Praef. 39; *Psych.* 711.

Hĕcātōmbē (ἑκατόμβη) — Περὶ Στ. X, 1051.

Īdŏlĭum — *Apoth.* 186; *Contra Symm.* II, 186.

(*) VICTOR GISELINVS notat nostrum contra omnium fere consuetudinem in FIO iota corripuisse. Veniam facile tamen Prudentio damus pluribus de causis (V. *Commentariolum* nostrum De Prudentio etc. pag. XXIX), quamquam in memoriam reducimus contritum illud praeceptum, quod arripuimus pueruli in scholis ordinis secundi, quod sic se habet:

Produc, ni sequitur R FIO, et nomina quintae.

Pugilis — *Contra Symm.* II, 517.

Pugillaris — Περὶ Στ. IX, 141. De prima vocis quantitate vide sis *Lexicon Poët. totius Linguae latinae* V. LANFR.

Pyreneus — Περὶ Στ. VI, 147.

Quadrupes — *Apoth.* 112. V. Giselinianam editt.

Redimitus — *Psych.* 688.

Romphealis — *Cathem.* VII, 93.

Sardinia — *Contra Symm.* II, 965.

Serapis deus (Σεράπις) — *Contra Symm.* 531.

Smaragdinus — *Psych.* 862.

Socors — *Cathem.* I, 34; Περὶ Στ. X, 810.

Sophia (σοφία) — *Contra Symm.* I, 34.

Sphaera (σφαῖρα) — *Apoth.* 210.

Superne — *Cathem.* III, 20.

Vtraque (in casu recto) — Περὶ Στ. III, 80.

Sed, ne longum faciam, addam nostro poëtae moris id fuisse, ut verba secundae formae, seu coniugationis, quam vocant, corripiat, perinde ac si ad tertiam pertineant. Sic habebis: *extorque* (Περὶ Στ. V, 601); — *percense* (*Hamart.* 627); — *collucis,* ubi alii *conluces* (Περὶ Στ. V, 11); — *frendit* (vel) *frendet* (Περὶ Στ. V, 393, etc.).

Tum etiam haud raro in Prudentio verborum positionem illam, ubi deprehendes quae syllaba in fine brevis esse deberet,

tamen, graecorum more, est producta propter sequentis vocis geminam consonantem. Adi *Cathem.* VII 59. Neque te pigeat relegere quae ibi in versu nono et quinquagesimo obiter annotavimus.

FINIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA

In vol. I, pag. XVIII, *multi doctrina praestati viri* lege: *multi doctrina praestanti viri*.

In vol. I, pag. 109. Hymno III CATHEMERINON, qui inscribitur: *Passio Eulaliae Beatissimae Martyris* hanc periocham omissam subtexito: " Versibus dactylicis trimetris super ca-
" talecticis poëta noster Virginem EVLALIAM celebrat, quae
" Emeritae ortum duxit in Hispania Vlteriore. Generosos haec
" nacta parentes, amore Christi prodigialiter vel a primis un-
" guiculis flagravit, plane ut ad martyrium faciendum ierit
" sponte sub Maximiano Herculeo an. CCCIV. Miracula, quae
" eius mortem consecuta sunt, et locum ubi Martyr Virgo est
" condita pulchre exornat Prudentius ".

— Pag. 174 in ora libri vers. 56; corrige: 65.

— Pag. 138 in Adnot. 3 *istiusmodi fornicem*. Corrige, si me amas: *istiusmodi fornix*.

— Pag. 139 in marg. vers. 225. Corrige: 255.

— Pag. 261 adnot. 1. *syllabam* te *correptam vides* corrige: *correptam minime vides*.

In vol. II, pag. 64 annot. 3 *advenit homimum generi* lege: *hominum generi*.

— Pag. 84 vers. 208 *Sortur* legito *Sortitur*.

— Pag. 110. adnot. 5 *interpretatum legimus* corrige: *interpretatum legimus*.

— Pag. 169 *Prefectum Vrbis* corrige: *Praefectum Vrbis*.

— Pag. 178 adnot. 2 *in edillio* corrige *in Edyllio*.

— Pag. 185 adnot. 3 Hensio: *tornatus* corrige Heinsio *tornatus*.

— Pag. 201 adnot. 1 *diis mactarent atque tauros* legito: *diis mactarent etiam tauros*.

— Pag. 208 adnot. 2 *ad Letam scribit* corrige: *ad Laetam scribit*.

— Pag. 212 adnot. 1 *Miror Ioannem Alertum* lege: *Miror Ioannem Albertum*.

— Pag. 213 *vide historiam fabularum* lege: *vide historiam fabularem*.

— Pag. 230 Index II *Aeditus* lege: *Aedituus*.

— ibi *adcaenae aemulae* lege: *avenae aemulae*.

— Pag. 273-275 DIPTYCON lege: DIPTYCHON.

— Pag. 292 DIPTYCI FINIS lege: DIPTYCHI FINIS.

— Pag. 350 adde: *Emmanuel est, sive nobiscum Deus*, *Cathem.* VII, 180; — *Apoth.* 604.

INDEX

VOLVMINIS SECVNDI

Contra Q. Aurelium Symmachum.

Aurelii Prudentii Clementis

Diptychon Vtriusque Testamenti.

Indices Prudentiani.

Officinatores . Salesiani

opus . librarium . adgressi sumus

idibus . aprilibus . anno . MDCCCXCV.

ocularia . editoris . aegritudine . retardati

per laborem . plurimum . absolvimus

VI. idus . ianuarias . an. M . CM . II.